Statuts de Jean Pitard, en vertu desquels les chirurgiens sont soumis à l'examen, commencés en 1260, approuvés par St Louis et confirmés par lettres patentes, en 1498, 1548, 1609 et 1611.

Arrêt du Parlement qui en ordonne l'exécution, en 1640.

Réglements en faveur des maîtres en chirurgie, aout 1301.

Edit de Philippe le Bel, confirmant les Statuts de Pitard, novembre 1311.

Edit du Roi Jean 1er, confirmant le précédent, avril 1352.

Charte du Roi Jehan, confirmant les Statuts accordés par St Louis, Juin 1360.

Edit de Charles V conçu presque en mêmes termes que ceux de Philippe le Bel et de Jean 1er, octobre 1364.

Charte de Charles V portant exemption de garde et guet en faveur des Maitres en Chi=

=rurgie, juillet 1370.
Charte de Charles VI en faveur des Chirurgiens et médecins, août 1390.
Lettres patentes de Charles VI confirmant l'édit de 1364, octobre 1381.
Lettres patentes de Charles VII qui comprennent et confirment celles de 1364, 1370, 1381, données en Octobre 1441.
Lettres patentes de Louis XI, confirmant les précédentes, mars 1470.
idem de Charles VIII, confirmant les précédentes, Juillet 1494.
idem de Louis XII, qui confirment les précédentes, juillet 1498.
idem de François 1.er, confirmant les précédentes, février 1514.

Vid. ad finem.

INDEX FUNEREUS CHIRURGORUM PARISIENSIUM,

ab Anno 1315. ad Annum 1714.

Operâ M. J. D. V. Ant. Societ. Præfecti.

Devaux, Jean



TRIVOLTII.

Venales proſtant,

PARISIIS,

Apud STEPHANUM GANEAU, viâ Jacobæa.

M. DCCXIV.

INDEX FUNEREUS

M. M. Chirurgorum Parisiensium,

Ab anno M. CCCXV.

Ad annum M. D. CCXIV.


Accedunt super eorum Societatis positionem,

& præcipuas ejus immutationes,

Notæ Historicæ,

Nec non & plurium in Arte illustrium Compendiosa Elogia.

Operâ M. J.-D. V. Antiquioris Societatis Præfecti.





PRÆFATIO.



ERUM omnium ut initia plerumque difficilia, ita sunt cœco tenebrarum involucro recondita; ea semper fuit Gentium, Imperiorum, Regnorum, Urbium, & quarumlibet Societatum sors æqualis & conditio; quippè Conditores suis positionibus fulciendis primùm intenti, eorum historiæ primigeniæ posteris tradendæ, haud impensam dederunt operam. Unde non mirum quod de Chirurgorum Parisiensium Soietatis origine inter rerum Gallicarum scrutatores rixæ moveantur; adeò ut plerique Chirurgos Parisienses Divum Ludovicum suæ Societatis Creatorem agnoscentes, opinionem sibi à majoribus successivè transmissam, sed nullâ tabularum authenticâ fide

consignatarum authoritate fultam, tueri existimaverint.

Inter alios sic censuit M. Stephanus Pasquerius, in suprema rationum Curia Advocatus Catholicus, qui rem attentiùs excussit, disquisitionum Gallicarum lib. 9°. cap. 30°. dicens Chirurgos Parisienses Collegii sui institutionem, Divo Ludovico Regi unanimi consensu tribuisse, ex eo quod in transactione facta sub Regno Joannis Regis, inter Petrum Fromond, & Robertum de Langres, Castelletti Parisiensis Chirurgos Regios ex una parte, & Joannem de Troyes, Chirurgorum Parisiensium Præfectum, & Socios ex altera, Privilegia Regia à Divo Ludovico Chirurgorum Societati concessa, à Præfecto & Chirurgis Sociis, non reclamantibus adversis partibus, allegata fuerint. Sed cum in tribus Chartis in forma edicti datis, scilicet, à Philippo Pulchro anno 1311. à Rege Joanne Anno 1355. & à Rege Carolo quinto anno 1366. horum privilegiorum, à tanto pa-

trono non ita pridem extincto impetratorum, nulla ſit mentio. Certè, inquit Paſquerius, Præfecti & Sociorum allegationem apprimè ſuſpectam habeo, illamque liberæ ſcriptoris ludificationi, ipſomet Juſtitiæ Tribunali fucum facientis imputare non dubito.

Verùm, pergit idem Autor, etſi Chirurgorum inſtitutionem ſancto Regi Ludovico tribuere non ſit animus, attamen diſcrepare non poſſum quominùs hæc inſtitutio non longè ab ipſius Regno locum habuerit. Patet enim ex antiquioribus monumentis in eorum Collegii tabulario ſervatis, Joannem Pitardum, Caſtelletti Pariſienſis Chirurgum Regium, hujus Societatis prima cudiſſe fondamina, anno 1278. qui erat ab extincto in Oriente Divo Ludovico octavus.

His argumentis adversùs Chirurgorum vulgatam opinionem à Paſquerio allegatis reſpondi poteſt, hujus Autoris ratiocinii vim & energiam illicò fatiſcere, dummodò poſ-

ſit à Chirurgis Pariſienſibus quædam proferri tabula, quâ ſolidè conſtet Divum Ludovicum Regem quaſdam prærogativas, qualeſcunque fuerint, ipſis annuiſſe, tunc enim ſanctum hunc Regem pro Societatis ſuæ conditore ac primo patrono jure ac meritò poterunt agnoſcere.

Sed ejuſmodi tabulam inter manuſcriptos codices in Bibliotheca primùm Richellia, deindè Thuana, poſthinc Menarſiana; ac demùm ab Eminentiſſimo Principe Subizio S. R. Eccl. Cardinali Argentaurat. Antiſtite comparatâ, ſervatos reperire eſt, cujus titulus ſequentibus verbis contextus, hujus temporis vernacula ſic legitur. *Cette Bible avec riches acoutremens contient les faits dy Cyrurgiens fondez par Monſeigneur St. Loys en la noble Cité de Parrhis pour la Confrairie de Meſſeigneurs St. Coſme & St. Damien*, & à linea ſic incipit textus:

Cy commenchent l'hiſtoire dy Cyrurgiens.

Aliæ perplures non minoris etiam fidei chartæ à Chirurgis proferri poſſent, ſi Archivum Sancti Sacelli Pariſienſis luſtrare liceret, in quo vetuſtiores Codices Chirurgorum ſodalitatis inſtitutionem ſpectantes in uno faſciculo collecti ſervantur; ſed hæc facultas pluries expoſtulata, ad hanc uſque diem denegata fuit.

Ex his itaque ſuprà enunciatis ſequitur, Divum Ludovicum Chirurgos Pariſienſes in modum ſodalitatis ſub invocatione ſanctorum Coſmæ & Damiani Martyrum primùm congregaſſe, & poſteà à Joanne Pitardo, Caſtelleti Pariſienſis Chirurgo Regio, octo circiter annis ab interitu ſancti Regis, anno nempè 1278. Regnante Philippo Audaci ipſius filio, hanc Chirurgorum ſodalitatem in formam Societatis, ſuis legibus & ſtatutis benè munitæ, erectam fuiſſe; ac proindè Stephanum Paſquerium, ſicut & Criticos

recentiores, & nominatìm Authorem transitorii cujusdam Diarii sub titulo, Litteraturæ speciminum, opinionem Chirurgorum de suæ Societatis origine tanquam vanam & fictitiam repudiantes, præ sua in evolvendis manuscriptis codicibus in Parisiensium Bibliothecis latentibus ignaviâ, turpiter & imperitè allucinatos fuisse; imò summo jure Chirurgos Parisienses à Divo Ludovico veteri Collegii sui positionem usque adhuc acceptam retulisse.

Cœterùm, conjectare licet quod si Chirurgorum Parisiensium Indicem Funereum à suæ Societatis origine exactè fieri, tàm ratione nominum baptismalium, quàm cognominum, patriæ, ætatis, & præclarè gestorum, Collegii Præfecti curavissent, Chirurgiæ Gallicæ historiam, si non omnibus suis absolutam numeris, saltem ordine sat recto concinnatam, posteris suppeditassent.

Sed tanta fuit, primis maximè temporibus, in hoc Indice perficiendo Præfectorum Societatis in-

curia, ut in eo præſtantiſſimorum virorum & in arte illuſtriorum nomina fuerint omiſſa, & de cœterorum patria, ætate, & diverſis muniis planè ſiluerint.

Nuſquam ergò ſatis extolli poterit M. Emanüelis Meuriſſe, præmaturo fato prærepti, flagrans ergà Societatem ſtudium, qui Tabulas Funereas in Aula publica áppenſas, ſed inordinatas & præ vetuſtate ſquallentes ac penè deletas, reſtituendi causâ, antiquiores tabularii Chartas diligenter luſtravit, & quidquid de ſingulis Sociis notatu dignum, tàm in his Chartis, quàm in hiſtoriæ Gallicæ Scriptoribus reperire potuit, ipſorum nominibus novis tabulis in ſuo ordine inſcriptis adjunxit, ex ejuſmodi collectionibus compendioſa in arte præſtantioribus elogia conſecrans.

Nobis autem attendentibus, haſce tabulas in Aula Conſilii pendulas, variis injuriis eſſe obnoxias, venit in mentem ex hoc Indice exiguum volumen conficere, quod meliori

quo potuimus ordine digeſtum, Præfectis gerentibus anno 1710. Societatis honorandæ causâ, prælo ſubjiciendum obtuleramus; ſed hæc noſtra lucubratio, ab hominibus illiteratis impolitâ ingenii formâ præditis, & urbanitatis planè inſciis, tam illepidè excepta fuit, ut eam in Muſæi noſtri receſſu abſconditam relinquere maluerimus, quàm diutiùs ſuper ejus editionem viros illam vulgandi propitiam Societatis ſuæ decoris prorsùs intactos incaſsùm urgere, donec illam vulgandi propitiam haberemus occaſionem.





INDEX
FUNEREUS
Chirurgorum Parisiensium, ab Anno 1315. ad Annum 1714.

Primus in hoc indice recensendus venit.

M. Oannes PITART, Parisinus, Divi Ludovici, Philippi Audacis & Philippi Pulchri Franciæ Regum, necnon & Castelietti Parisiensis Chirurgus Regius, vir morum integritate, & suâ in arte peritiâ commendandus, Chirurgici splendoris zelator acerrimus, à Divo Ludovico, cujus fidem in transmarinis expeditionibus sibi demeruerat, Chirurgorum statuta obtinuit, quæ sub sequenti tantummodò Regno fuere promulgata, & à Philippo Pulchro, & successoribus Francorum Regibus, confirmationem obtinuere. Tandem elapsis quatuor sæculis, postu-

lante nobilissimo viro Domino Carolo Francisco Felix, Ludovici Magni Consiliario & Chirurgo Primario, Supremo Regni Chirurgiæ Arbitro, hujus Societatis statuta, ex Chirurgorum, tam Togatorum quam Barbitonsorum coadunatarum Societatum regulis desumpta, Regio edicto ampliata, renovata, & Chirurgorum familiæ Regiæ aggregationi accommodata fuerunt, anno 1701.

M. autem Joannes PITART suprà dictus, ingenti nomine in Aula & in urbe sibi condito, & amplo diplomate Castelletti Parisiensis Chirurgi Regii dignitatem, & Chirurgorum urbis & Vice-Comitatus Parisiensis examinandi & approbandi facultatem sibi largiente, à Rege Divo Ludovico & successoribus, quibus erat acceptissimus, impetrato, à Sociis plurimùm desideratus obiit, anno 1315. ætatis 77°.

Non deceret nos mentionem hic faciendi exitus indecori M. Petri DE LA BROSSE, Turonensis, Divi Ludovici primùm Barbitonsoris, posteà Philippi III. Franciæ filii exindè Audacis dicti, Chirurgi primarii, nisi illius exemplo constaret, quantùm Ars Chirurgica valere possit ad homunciones supremis etiam dignitatibus decorandos.

Vir ille * ex humiliori stirpe oriundus, sed magno ingenii acumine præditus, & in arte peritissimus, tantâ fuit apud Philip-

* *R. P. Daniel Hist. Gal.*

pum gratiâ, ut post Divi Ludovici excessum, idem Princeps non priùs Regni habenas tenuerit, quin illum ad sui summi cubicularii & supremi Regni Administri gradus extulerit. * Sed Brossius tantis dignitatibus ferendis impar, & sua magnitudine quasi obtusus, omnia sibi licita reputans, adversùs Mariam Brabantiam Philippo secundo nuptam, cui in odium venerat, duplici scelere execrandæ ultionis consilium inivit.

Primò enim Ludovicum Franciæ filium, è priori Regis conjugio cum Elisabetha Arragoniæ genitum, veneno trucidavit. Dein accusatione sua tam nefandæ cædis scelus in Reginam ausus est derivare, illam tam execrando crimine propriis liberis Regnum asserere voluisse palàm prædicans. Sed cum hujus criminationis nulla posset exhibere specimina, tam horrendæ cædis, sicut & protervæ adversùs Reginam calumniæ, meritas pœnas luit.

M. Lanfrancus DE MEDIOLANO, eximius

* *R. P. Anselmus in sua Regia Domus Gall. & summorum in Gallia Regno Ministrorum Hist. Geneal. ubi de Mag. Franciæ Camer. agitur, hunc Brossium, sive Brochium ex clara apud Turonenses familia genitum prædicat, ipsius avum & patrem Brossiani prædii Dominos & nominatim ultimum Divi Lud. Regis Apparitorem vendìtans.*

Medico-Chirurgus, Guelphorum & Gibellinorum factionibus ex Italia pulsus, in Galliam se recepit, sicuti fecere eodem tempore alii permulti doctrinâ conspicui, videlicet, Thadæus Boloniensis, Ludovicus Rhegiensis, Hugo Luccensis, Nicolaus Florentinus, Augustus Veronensis, Rogerius Salernitanus, Sylvester Pistoriensis, Valesius Tarentinus, Ludovicus Pisanus, Bruno Calabrinus, Armandus Cremonensis, & alii nonnulli, quorum plerique scientiæ ostentandæ causâ Parisiis mansionem elegere.

Cœterùm negari non potest quin isti Ultramontani, in theoria & praxi Chirurgica tunc Gallis præstantiores, Chirurgorum Parisiensium jam diù sopitam in arte sua excolenda ac perpolienda socordiam excitarint.

Illis etiam debita tenemur persolvere, ex eo quod Majoribus nostris saniorem in periculosioris aleæ Chirurgiâ tentandâ viam monstraverint, & Societati nostræ firmandæ, proprio etiam dispendio, plurimùm contulerint.

Nam cum plebeculæ, novitatis semper avidæ, existimationis aucupandæ causâ, de principiis artis & de praxi inter se decertarent, & Chirurgiam idcircò in diversas sectas à Chauliaco benè notatas distribuissent, à sese invicem discrepantes & contrarias; horum extraneorum controversiæ Joanni Pitardo, viro eximio, inge-

nii acumine prædito, ansam præbuere admonendi Divum Ludovicum Regem, hasce Physicorum & Chirurgorum altercationes in Civium damnum vertere, ac proindè ipsorum commodo nusquam utiliùs consuli posse, quàm evectione Societatis Chirurgorum authoritate Regia stabilitæ, in qua nullus, tàm ratione Theoriæ, quàm Praxeos improbatus admitteretur; nec quisquam intereà ullum opus Chirurgicum in urbe posset peragere, quin priùs huic probationi se subjecisset.

Benignè auditâ à Sancto Rege, populi sui commodis semper intento, Pitardi admonitione, quotquot erant Parisiis majoris notæ Chirurgi extranei, ex urbe proficisci, quàm à suis sectis descíscere maluerunt. Solus Lanfrancus, qui cum Pitardo strictam junxerat amicitiam, novæ Societati sese libenter addixit, in qua lectionibus Physicis & Chirurgicis, demonstrationibus publicè factis, & famosis operationibus feliciter absolutis, apprimè claruit.

Ipse de suo Lutetiæ adventu nos edocuit in fine majoris suæ Chirurgiæ Arabum Doctrinæ consentaneæ, qui fuit anno 1295. postquam per aliquod tempus Lugduni moratus fuisset: sed de ipsius ætate & obitu, nihil à sui ævi Scriptoribus, nec in Societatis Tabulario posterorum memoriæ proditum fuit.

Eodem tempore florebant Parisiis quatuor insignes Chirurgi, sub eodem tecto

ſolitariè degentes, & à contemporaneis Scriptoribus ſub nomine quatuor Magiſtrorum deſignati; ſed eorum nomina ad nos uſque non pervenerunt.

Scitur tantummodò veteri traditione, viros fuiſſe doctrinâ & pietate ſpectabiles, qui ſe ſe invicem meræ ſub charitatis vinculo, pauperum vulneratorum & infirmorum Chirurgicæ tractationi alligaverant, & de univerſa Chirurgia tractatum ſecundùm Empyricam methodum conjunctìm ſcripſerant, à Chauliaco laudatum, cujus manuſcriptum exemplar, ſed valdè lacerum, & tineis pené exeſum, paucis abhinc annis in Biblioteca Regiæ Navarræ viſebatur.

M. Henricus DE MUNDAVILLA, magnâ nominis ſui famâ, Chauliaco teſte, Chirurgiam exercuerat, & tractatum inchoaverat in quo quidquid, ſuo ſenſu, in ſcriptis Lanfranci & Theodorici rationi & experientiæ conſentaneum invenerat, peculiaribus notis, tanquam præcepta in praxi ſervanda propoſuerat. Verùm huic tractatui improviſo ictu percuſſus, extremam manum adhibere non potuit, & idcircò nuſquam fuit typis mandatum.

M. Jacobus DE SIENNE.

M. Ambroſius TESTART.

M. Petrus YDERON. Tres fuerunt inſignes Chirurgi.

M. Joannes DE BUSSEVILE.

M. Guillelmus VENNERIE.

M. Robertus LE MYRE, expertissimus Chirurgus, tantam de se famam reliquit, & nominis sui commendatio successoribus, videlicet, Joanne Myro, Gratiano, Egidio, & Nicolao subsequentibus ita claruit, ut omnes Chirurgi, in Arte sua distincti Magistrorum Myrorum nomine fuerint insigniti.

Vanè ergò & perperàm nonnulli rerum Gallicarum inquisitores asseruere, nomen hoc omnibus Galliæ Chirurgis per aliquod tempus impositum, à Myrrha, remedio vulneribus congruo derivatum fuisse, in opinionis suæ argumentum solam vocabuli consonantiam proferre valentes.

M. Simon GODICHART, pater.

M. Joannes GODICHART, filius.

M. Joannes DE BEAUVAIS, pater.

M. Joannes DE LAON, filius.

M. Guibertus LOYSEUX.

M. Egidius MORET.

M. Rodolphus DE GRAVENCHON.

M. Petrus DE VERBERIE.

M. Bernardus POUPE'.

M. Honoratus DE BEAUVAIS, filius.

M. Guillelmus POÜEM.

M. Joannes LE MYRE, filius, insignis Chirurgus.

M. Joannes LE BIDAULT.

M. Petrus PETIT.

M. Gratianus LE MYRE, nepos ab antecessoribus non degener.

M. Joannes GUILLORY.

M. Simon DE FLORENCE.

M. Joannes DE ST. AMAND, librum ſub conſonantiarum Chirurgicarum titulo ſcripſiſſe creditur, cujus autor ſub Conciliatoris nomine ſæpè ſæpiùs à Chauliaco citatus fuit.

M. Thomas CHOPILLART.

M. Hugo POTIER.

M. Guillelmus MORSANT.

M. Joannes DE VELY.

M. Henricus TRISTAN.

M. Joannes BRIART.

M. Theobaldus BENOIST, Philippi v. Longi dicti Francorum Regis Chirurgus primarius; curationibus difficillimis perpluribus præter Sociorum opinionem feliciter abſolutis, peritiâ non vulgari in arte præditum ſe perhibuit, & eleemoſinarum erogatione ſingulari ergà pauperes beneficentiâ animatum.

Tunc temporis D. Joanna Burgundiæ, Francorum & Navarræ Regina, Philippi v. præ ſtaturæ eminentia Longi dicti, conjux, Divis Coſmæ & Damiano Martyribus apprimè devota, eorum reliquias honorandi causâ Luzarchiam ſe contulit; ubi pias Sanctorum horumce Martyrum exuvias in vilioribus arcis incluſas conſpiciens, eas ex his extrahi,& in capſis argenteis longè ſplendidioribus deponi voluit.

Hæc Tranſlatio Reverendiſſimo Epiſcopo Pariſienſi & Venerabili Capitulo Luzarchiano occaſionem præbuit Pariſienſes

Chirurgos Luzarchiam advocandi, ut de his reliquiis, solito more, visa & acta referrent. Translatione autem solemniter facta 3. Octob. anni 1320. præsentibus DD. Franciæ Regina supradictâ, filiâque ejus Burgundiæ Ducissâ, Parisiensium & Nivernensium Episcopis, Abbate San-Dionysiaco, & Abbate Sanctæ Genovefæ, Nobilibus per pluribus, & innumera plebe ad hanc solemnitatem undequaque advolatâ, D. Canonici Luzarchiani Chirurgis Parisiensibus suo munere functis proposuerunt, Sodalitatem Luzarchianam Beatorum Martyrum, cum Sodalitate Chirurgorum sub eorumdem invocatione, Parisiis jam pridem institutâ, ita inter se coadunare, ut una deinceps foret & eadem Sodalitas, sub directione Magistrorum Chirurgorum Parisiensium, eâ tamen conditione, ut bis in anno, scilicet, 27. Septembris, die sacrâ Beatis Cosmæ & Damiano Martyribus, & 28. Octob. die festo Sanctis Simoni & Judæ Apostolis, duo Magistri à Collegio Chirurgorum Luzarchiam delegati forent, qui divinis adessent officiis, piam agerent pauperum infirmorum visitationem, & gratuitas à sodalibus eleemosinas perciperent. Quæ conventio illis temporibus adeò firmiter stabilita fuit, ut ad hanc usque diem, invitis etiam Canonicis, locum habuerit.

M. Joannes DU PERCHE, pater.

M. Joannes DE TOURNAY.

M. Enguerandus DESLOGES, Caroli Pulchri Francorum Regis Chirurgus primarius, inter ævi ſui illuſtriores numerandus.

M. Egidius LE MYRE, Chirurgus fuit famâ celebris.

M. Joannes MARQUENIL.

M. Salomon LE GENDRE.

M. Stephanus MARIE', pater.

M. Regnierius MARIE', filius.

M. Joannes DE CAMBRAY.

M. Firminus RHANIS.

M. Thomas LANGLOIS.

M. Michael PICART.

M. Benedictus FARDELLE.

M. Joannes DE BETHUNE.

M. Radulphus DIXLIVRES.

M. Nicolaus AUX-COUTEAUX.

M. Petrus DE L'ARGENTERIE, Chir. illuſt. Chauliaci coævus & amicus.

M. Joannes LUC.

M. Nicolaus LE MYRE, expertiſſimus Chirurgus, præcedentis nepos, & hujus nominis & familiæ ultimus.

M. Dionyſius JOANNE.

M. Joannes DU PERCHE, filius.

M. Joannes ROUSSEAU.

M. Hugo LANGLOIS.

M. Jacobus DE DOÜAY.

M. Simon GODICHART, præcedentis nepos.

M. Joannes DE GAMACHES.

M. Guido DE CONDE'.

M. Martinus BREST.

M. Joannes LE BASTELIER.

M. Nicolaus DE CHALONS.

M. Godefridus THOREL.

M. Petrus D'ORLEANS.

M. Joannes STOBY, Celebris Chirurgus; comitate morum, sincerâ pietate, & suâ ergà pauperes infirmos humanitate, omnibus coævis præcellens.

M. Rogerius COSME.

M. Richardus THUILLIER.

M. Radulphus DE NESCLE.

M. Simon L'ALLEMANT.

M. Egidius DE CHARNY.

M. Joannes DU CHUC.

M. Martinus LE QUEUX.

M. Paschalus PAUL.

M. Joannes DE LAON, nepos.

M. Guillelmus LANGLOIS.

M. Joannes LE FERON.

M. Joannes DE TROYES, Collegii Præfectus, Chirurgus famâ insignis, sub cujus præfecturâ lis intenta inter Petrum Fromond & Robertum de Langres, Castelletti Chirurgos Regios ex una parte, & prædictum Joannem de Troyes tunc Collegii Præfectum ex altera, super moderationem actuum candidatorum specimini dicatorum, quam sibi invicem diverso innixi jure arrogabant; transactione soluta fuit, quâ ejuscemodi actibus conjunctim præesse, tàm Castelletti Chirurgi Regii, quàm Collegii Præfectus convenere, cum appro-

bacione Regii in Parlamento Procuratoris, anno 1355. Regnante Rege Joanne.

M. Egidius PETIT.

M. Nicolaus LE NOIR.

M. Petrus DYE.

M. Simon COURSIN.

M. Joannes Eux.

M. Petrus Fromond, Castelletti Chir. Reg. & in Arte celebris.

M. Gaucherius POULET.

M. Thomas COQUILLE.

M. Robertus DE LANGRES, Castelletti Chir. Reg.& in Arte distinctus.

M. Olivarius MALAURE.

M. Joannes LE FEVRE.

M. Nicolaus JULIEN.

M. Petrus DE PISE.

M. Raymundus DE NESCLE.

Anno Domini 1364. Carolus V. Francorum Rex, Sapiens dictus, Chirurgorum Parisiensium à Divo Ludovico, Philippo Audaci, Philippo Pulchro, & Joanne Franciæ Regibus impetrata edicta confirmavit; & in eorum Sodalitatem erectam sub invocatione Sanctorum Cosmæ & Damiani Martyrum ingressus, emendarum medietatem à Chirurgis non approbatis exigendarum Sodalitati donavit.

M. Gervasius LE COMTE, Ecclesiæ Sancti Marcelli Canonicus, Collegii Præfectus.

M. Henricus DE MORANT, Chirur. Regius.

M. Godefridus DU COUTIL.

M. Joannes DROÜART.

M. Joannes DE TROYES, Parisinus, præcedentis nepos, suâ in arte peritiâ commendabilis, & idcircò mirâ apud plebem authoritate valens, Regnantibus Regibus Carolo VI. & Carolo VII. in tumultuosis Armeniacorum & Burgundorum factionibus partes suas fortiter egerat, usquequò prævalente tandem legitima potestate, fractis compressisque harumce factionum perturbationibus, sua in Belgium fuga, ab exitioso fato incolumem se præstitit, ibique vitæ reliquias occultas absolvit.

M. Hugo POITEVIN.

M. Simon BOURGEOIS.

M. Odoardus TRIQUETOT.

M. Olivarius LE DAIM, Thielæ propè Gandium in Belgio natus, Ludovici XI. Francorum Regis Barbitonsor Chirurgus primarius, Mulanchi Comes, Regi acceptissimus, qui ad D. Burgundiæ Ducissam à Rege delegatus, si sua delegatio non benè cessit, saltem rediens Tornacum urbem in Regis partes traxit; & hoc ipso plurimùm illi contulit officii. Sed cum vir ille ignobili loco natus, Principis gratiâ insolenter abusus, totius aulæ in se incendisset odia, in principio Regni subsequentis, à Regis Procuratore acriter insectatus, sub adulterii & homicidii larva, * ignominiosè periit.

* *R. P. Daniel Hist. Gal.*

M. Joannes LE GRAND.
M. Fridericus ONDELANT.
M. Joannes LOHIER.
M. Petrus GUESTRE.
M. Joannes GARNIER.

Anno Domini 1437. 13. Decembris in generali Rectoris & Universitatis congregatione, Joannes Dessous le Four, in Artibus & Chirurgia Magister, & alii Chirurgorum Collegii Magistri supplices oravere ut singuli in Arte Chirurgiæ prout decet approbati, Universitatis Scholares reputarentur, & immunitatibus illis concessis & concedendis gauderent & uterentur sicut alii ipsius suppositi.

Post maturam deliberationem, omnia à Chirurgis in sua postulatione proposita, à Rectore & Universitate illis concessa fuere: proviso tamen quod ipsi Chirurgi lectiones Magistrorum actu Parisiis in Facultate Medicinæ Regentium, ut moris erat, frequentarent. Hoc Universitatis diploma signatum fuit, Magister Hebert Scriba, sigillo magno cerâ rubrâ munitum, & capsulâ albâ ferreâ contentum.

Primum hoc decretum anno 1515. 5. Martii in alia Rectoris & Universitatis congregatione habita apud Maturinenses, supplicantibus Claudio Vanif, in Artibus & Chirurgia Magistro, & Sociis in hunc finem delegatis, secundo diplomate confirmatum fuit, & signatum fuit le Roux Scriba, & magno sigillo in cerâ rubrâ munitum.

Eodem

Eodem anno 10. mensis Novemb. ipsa Medicinæ Facultas, in sua congregatione apud Sanctum Yvonem celebratâ, supplicantibus Stephano Barat, in Artibus & Chirurgiâ Magistro, & Sociis in hunc finem delegatis; visis Universitatis præcedentibus diplomatibus, Collegii Chirurgorum singulis Magistris, ejusdem tenoris litteras concessit, quibus supplicantes & cæteros in futurum prout decet approbatos, suos agnoscit Scholasticos, quemadmodùm eos jam dudùm in hac qualitate agnovit, ac ipsos in privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, quibus alii Magistri, Scholastici, & suppositi gaudent & utuntur, manu tenere, conservare, nec non juvare pollicetur ? Hæ Litteræ signatæ sunt, ex mandato Facultatis, per Magistrum Robertum le Mazurier, ipsius Decanum.

Verùm harum Litterarum adeò autentica concessio, non impedivit quominus Medicinæ Facultas, Collegio Chirurgorum tunc valdè infensa, conventione initâ anno 1577. inter Magistrum Claudium Rousselet ipsius Decanum ex una parte, & Stephanum le Jeune, Nobilis D. Joannis de Parcontal Regis Barbitonsoris Chirurgi primarii Legatum ex altera, pro Scholasticis & discipulis Barbitonsores Chirurgos reputaverit, & vicissim Barbitonsores Chirurgi Facultati & Doctoribus in ea aggregatis, tanquam suis Præceptoribus & Ma-

giſtris, in omnibus ab eis præſcriptis & præſcribendis ſe ſubmiſerint; & ſic Facultas duos Chirurgorum ordines Pariſiis tunc temporis agnovit.

Hæc autem Medicorum agnitio inter Medicinæ Facultatem, & has duas Chirurgorum Societates, rixas movit innumeras, ac tandem integræ hujus Collegii ſubverſioni anſam præbuit.

Nam temporis lapſu cum hi duo Chirurgorum ordines tædioſâ jurgiorum annexione fatigati, pro omnibus componendis litibus, in unam & eandem Societatem ſeſe coadunaſſent, ex hac unione factâ Medicinæ Facultas Rectorem & Univerſitatem integram, ad hanc Societatem, illitteratis, ut aïebat, viris refertam, è ſuo ſinu expellendam illicò induxit; & intentata à Facultate actio 1. Feb. anni 1657. cum Rectoris & Univerſitatis interventu, tanto ardore inſequuta fuit, ut Senatusconſulto dato 7. Feb. anni 1660. ſancitum fuerit, ſtante, pro bono pacis, Societatum unione, Societatem unitam, nuſquam in poſterùm de corpore Univerſitatis cenſeri debere, & inſcriptionem Collegii citocitiùs eſſe delendam. Sequentibus verbis contexta fuerat.

COLLEGIVM REGIVM M. M. D. D. Chirurgorum Parisius Juratorum à Sancto Ludovico, Anno Domini M. CC. VI. Instauratum. Gradatim à Philippis, Ludovicis, Carolis, Joanne, Franciscis, & Henricis, Regibus Christianiss. Conservatum. Modò sub auspiciis Christianissimi, Justi, Piique Regis Ludovici XIII. ob ejus natalis memoriam renovatum. Anno Salutis M. D. C. XV.

M. Guillelmus DU COUTIL, filius.

M. Yvo URIEN.

M. Joannes LAUDUNOIS.

M. Joannes GUIBERT.

M. Joannes MARCHANT.

M. Joannes DE TROYES, nepos, eximius Chirurgus.

M. Robertus PRUJET.

M. Stephanus FRAISSANT.

M. Egidius DESSOUS LE-FOUR, pater.

M. Joannes LE COINTE, obiit 18. Sept. anni 1435.

M. Bernardus DESPLANES.

M. Henricus DE TROYES, ex prædictorum familiâ oriundus.

M. Michaël LE CHARON.

M. Joannes DESSOUS-LE FOUR, filius.

M. Joannes PERICARD.

M. Petrus PEUPLE.

M. Rogerius RENOULT.

M. Guillelmus DE LA CHAPELLE.

M. Godefridus FAURE.

M. Dionyſius DE LAON, filius.

M. Joannes GILBERT, obiit 1. Febr. anni 1447.

M. Adamus MARTIN, pater.

M. Joannes TOURTIER.

M. Dionyſius PALLUAU, pater, Caſtelletti Chir. Reg. obiit 10. Jan. anni 1450.

M. Germanus COLLOT, intrepidus Lithotomus, inter Galliæ Chir. calculum è veſica urinaria eximere primus tentavit, magno, ut aïunt, apparatu. Antehàc enim calculo laborantes, ad hanc operationem perficiendam, ſi ex plebe forent, curſoribus ſe committebant, ſi Nobiles, Chirurgos ex Italia advocabant.

Sed Collotus attentè examinatâ horumce Italorum procedendi ratione, Gallicis Chirurgis pudori eſſe exiſtimavit, hanc operationem, licet arduam, extraneis diutiùs intentatam relinquere.

Factâ ergò pluries in diverſis cadaveribus ejuſcemodi operatione, pervagato rumore accepit, quemdam ſatellitem diverſorum criminum inſimulatum calculo jam diù vexari. Hujus operationis in vivo corpore peragendæ deſiderio motus, Lud. XI. Regem ſupplex oravit, ut reus hic capite damnatus, hujus ſectionis tolerantiâ vitam redimere poſſet.

Collori poſtulationi ſubſcribente Rege, ſatelles hanc Chirurgiam ſtrenuè tulit, &

perfectè curatus duplex exindè sibi comparavit emolumentum, 1. scilicet, gravioris morbi sanationem, 2. pœnæ capitalis scelerum expiationi debitæ remissionem, & Operator eximius ex tàm utili operatione feliciter absolutâ, præter acceptam à Rege remunerationem, inter Galliæ Chirurgos famam sibi fecit non perituram, imò & toti Europæ in longa progenitorum serie, præstantioribus Lithotomis ad hanc usquè diem suppeditatis, Collotorum nomini immortale decus obtinuit.

M. Petrus MALEIZE, pater.

M. Robertus CLICHE.

M. Reginaldus TIQUET.

M. Joannes BLONDEAU.

M. Joannes MARTIN, filius.

M. Godefridus AUCQUIN.

M. Hugo DE FONTENAY, pater.

M Joannes LE ROY.

M. Joannes PALLUAU, filius. Obiit 11. Octob. anni 1484.

M. Dionysius OUDART.

M. Michaël DE VIANNE.

M. Joannes GUILLARD.

M. Joannes LE NAIN.

M. Jacobus MILET.

M. Joannes PEUPLE, filius.

M. Petrus DE FONTENAY, filius.

M. Joannes DE LUCENA.

M. Robertus MORILLON, obiit 27. Sept. anni 1511.

M. Guillelmus NOURRY.

M. Robertus MOULON, Chir. Reg. Insignis Eccl. Parisf. Canonicus.

M. Guillelmus ROGER, Chir. Regius.

M. Joannes MALEIZE, filius.

M. Nicolaus PITOIS.

M. Robertus CADOT.

M. Stephanus BARAT, Collegii Præfectus.

M. Michaël BROUILLET.

M. Claudius VANIF, Collegii Præfectus.

M. Ludovicus CORNEILLE.

M. Egidius DES MOULINS, insignis Eccles. Paris. Canonicus, obiit 22. Novemb. anni 1533.

M. Guillelmus VAVASSEUR, Parisinus, Regis Francisci primi Chir. Ordin. Secreti cujusdam incommodi tractatione, intimam tanti Regis obtinuit fiduciam, & ab eo imperravit ut Chirurgorum Paris. Collegium, de Universitatis Corpore jam diù reputatum, ipsi novo & strictiori vinculo uniretur, & omnibus hujus almæ Regum Franciæ filiæ privilegiis & immunitatibus uteretur, iis tamen conditionibus, ut nullus ad Baccalaureatûs, Licentiatûs & Magisterii gradus promoveri posset, nisi priùs Grammaticæ leges & Latinam linguam apprimè calleret.

Præterea singulis primis lunæ diebus cujuslibet mensis, in Ossuario Ecclesiæ Parochialis sub invocatione Sanctorum Cosmæ & Damiani Martyrum, à decima hora matutina ad duodecimam, piæ pauperum

infirmorum visitationi adessent, quotquot in urbe forent Associati. Quæ concessio data mense Jan. anni 1544. ab Henrico II. Carolo IX. & Henrico III. Successoribus Franciæ Regibus confirmata fuit, & Collegio Chirurgorum occasionem præbuit à Sanctissimo Patre Gregorio XIII. Pontifice maximo impetrandi, ut omnes & singuli, sicut Bulla Pontificia loquitur, tàm conjugati quàm non conjugati, qui priùs Grammatici, & posteà in Universitate Magistri Artium recepti, ac ut moris est, eorumdem Chirurgorum examinati & approbati fuerint, & de more & instituto eorum, in Parochiali Ecclesia Sanctorum Cosmæ & Damiani singulis mensium primis lunæ diebus pauperes ægrotantes visitaverint, medicamenta salubria iisdem tribuerint, & illorum vulneribus applicaverint, à pro tempore existente Universitatis Cancellario, postquam professionem fidei juxtà formam præscriptam in ejus manibus emiserint, benedictionem Apostolicam quemadmodùm cœteri Magistri & Licentiati ejusdem Universitatis consueverunt, cum debitis humilitate & reverentiâ reciperent; nec nisi professione fidei priùs, ut præfatur, emissâ, ac benedictione receptâ, scientiam & Artem Chirurgicam publicè aut privatim profiteri, docere, demonstrare, & exercere valerent. Cujus indulti validitas, ab Eminentissimo Domino Philippo Cardinali Placentino, tunc temporis in Regno

Franciæ Legato, declarata fuit autentica, & promulgata Parisiis 18. Calend. Febr. anni 1594.

M. Guillelmus BAILLY.

M. Egidius DES-BRIERES.

M. Jacobus BOURLON, pater.

M. Egidius DE VARLY.

M. Nicolaus D'AMPIANI.

M. Guillelmus ROGER, è prioris familiâ oriundus.

M. Joannes DESMAY.

M. Adrianus ROUGEAULT.

M. Franciscus BOURLON, filius.

M. Antonius LIBER.

M. Joannes FROMAGER, Chir. Regius.

M. Antonius DE LA CASSAGNE.

M. Paschalus BAZIN.

M. Michaël YVART.

M. Mathurinus DE LA NOÜE.

M. Joannes MONTMORD.

M. Sebastianus DANISI, Chir. Reg.

M. Guillelmus DU BOIS.

M. Ludovicus LE BRUN, filius.

M. Robertus CAGNART.

M. Joannes D'AMBOISE, pater, Castelletti Chir. Reg. ex Nobilissima Ambœsianorum gente oriundus. Tres habuit filios, in suo quisque statu percelebres, de quibus infrà.

M. Ismaël LAMBERT, Chir. Reg.

M. Girardus OLIVIER.

M. Philippus COLLOT, Lithotomus famâ insignis.

M. Nicolaus LE BRUN, pater.

M. Michaël VOILLERET.

M. Joannes LANAY.

M. Joannes DE LEURYE, in Arte Celebris, longæ Chirurgorum seriei progenitor.

M. Raffius DES NOEUX, pater, Parisinus, Chir. Reg. & in Arte peritissimus. Obiit 24. Jan. anni 1552.

M. Isnardus Rostagnus DE BINOSQUE, Cistertiensis, Chir. magni nominis. Obiit 17. Octob. anni 1552.

M. Claudius CARON, Noviodunensis. Obiit 30. Octob. anni 1562.

M. Philippus THIEUVAIN, Bellovacus. Obiit 12. Jan. anni 1564.

M. Joannes MORET, Parisinus. Obiit 20. April. anni 1569.

M. Stephanus DE LA RIVIERE, Parisinus, Chir. Reg. in Arte Celeberrimus. Obiit 5. Julii anni 1569.

M. BARNABAS LE VEST, San-Dionysiacus, Chir. famâ insignis. Obiit 5. April. anni 1570.

M. Germanus CHEVAL, pater, Parisinus, tanquam peritissimus, Chir. à Paræo citatus. Obiit 21. Maii anni 1570.

M. Joannes PUCHENIN, Parisinus. Obiit 23. Junii, anni 1573.

M. Petrus CHEVAL, filius, Parisinus. Obiit 3. Octob. anni 1580.

M. Richardus HUBERT, Chir. Reg. magni nominis. Obiit 7. Septemb. anni 1581.

M. Nicolaus Raſſius des Noeux, filius, Pariſinus, Chir. Reg. præſtantiſſimus. Obiit 17. Novemb. anni 1581.

M. Ludovicus le Brun, filius, Pariſinus. Obiit 20. Maii anni 1582.

M. Joannes de l'Isle, Pariſinus. Obiit 10. Junii, anni 1582.

M. Joannes le Gay, Medico-Chir. Illuſtriſ. Obiit 18. Julii anni 1585.

M. Urbanus l'Arbalestrier, Sueſſionenſis. Obiit 18. Julii anni 1585.

M. Claudius Viart, Edinenſis, eximius Chir. Obiit 19. Septemb. anni 1585.

M. Andreas de Malezieux, Chir. Reg. Collegii Præf. & in Arte præcellens. Obiit 5. Octob. anni 1585.

M. Nicolaus Langlois, Pariſinus, Chir. Reg. Collegii Præf. inter coævos diſtinctus. Piam pauperum infirmorum viſitationem ſingulis primis lunæ diebus cujuſlibet menſis poſt Divini officii celebrationem, gratis anteà, ſed præfeſtinè fieri ſolitam, mox accuratiùs peragendam, Collegii Præf. & duodecim ſenioribus Magiſtris præſentibus, legatâ pecuniæ ſummulâ dotavit; & ad infirmos puerulos quos pro morborum agnitione & tractatione faſciis eximere conveniret calefaciendos, ignem in atrialis ſervi foco accendi curavit. Obiit 5. Sept. anni 1588.

M. Franciſcus des-Noeux, Pariſinus. Obiit 12. Octob. anni 1588.

M. Jacobus Dionneau, Cenomanenſis, Chirur. Reg. Obiit 10. Dec. anni 1588.

M. Jacobus DE L'ISLE, Rothomagensis. Obiit 20. Decemb. anni 1588.

M. Ambrosius PARE', Lavallæus, Ant. Collegii Præf. Henrici II. Francisci II. Caroli IX. & Henrici III. Franciæ Regum, Consiliarius & Chir. Primarius. Præcellenti genio ad Chirurgiam natus, à prima juventute ad supremum Artis suæ apicem pervenire nisus, copiosam Anatomes & Chirurgiæ penum in Nosocomio Parisiensi sibi comparavit. Posthàc in Hospitiis exercituum vulneribus sclopetorum tractandis sedulò incumbens combustiones horum vulnerum oleo ferventi præ veneni metu confestim immisso in hujuscemodi curationibus usurpari solitas exhorruit, & mitioribus remediis eas aggressus, tantùm sibi in exercitibus contulit honoris & laudis, quantùm vulneratis levaminis & quietis attulit.

Lenioris Chirurgiæ famâ ad Duces exercituum & Præfectos accitus in Regiis Francisci primi exercitibus, præ aliis Chirurgis fulgere cœpit. D. Monteiani Franciæ Polemarchi Chirurgus factus, miram de se in Italia reliquit opinionem, quam posteà D. Rohannii Cataphractorum Equitum Chirurgi munere functus ità auxit & illustravit, ut post Castelli Comitis expugnationem ab exercitus Duce Vindemicensium Comite, summè in Aula prædicatus, Henricus II. Rex illum inter suos Chirurgos ordinarios collocari jusserit primùm, &

cito-citiùs prima occasione data, tanti Regis beneficentiâ, sui Consiliarii & Chirurgi Primarii titulo fuerit insignitus.

Sic ad supremum Chirurgiæ culmen, successivo famæ incremento gradatim evectus, singulari suæ in Arte peritiæ primò libertatem, dein & vitam ipsam unicè debuit. Nam Hesdini Castello Caroli V. Imperatoris copiarum impetu expugnato, inter captivos existens, Germanicæ Legionis Præfectus, cui in partem obtigerat, à varicoso ulcere in tibiarum altera jam dudùm immanè vexatus, libertatem Chirurgo hujus mali curationis pretio habendam proposuit, & perfecta cura fidem illi præstans, liberum in domum remisit.

A Rege Carolo IX. cui brachium ab infausto tendinis bicipitis ictu, fatali venæ Sectoris * errore inflicto periclitantem servaverat, Calvinianæ quantùmvis hæresi adhærens, mirificè dilectus, in horrenda Sancti Bartholomæi Strage, ab ipsomet Rege in propria camera absconditus, †, præter Regiæ Styrpis Principes, solus volente Rege, ab inevitabili cæde liber evasit, & sic à Principe pro brachio servato vitam obtinuit.

* *Hicce Sector fuit Antonius Portail, post hinc memorandus, qui idcircò famam non amisit, fuit enim Henr. III. Chir. Primarius.*

† *Varil. Reg. Car. IX.*

Demùm ætate gravis, utilitati publicæ & Chirurgicæ splendori consulens, Chirurgiæ corpus viginti sex tractatibus comprehensum, & suis omnibus absolutum numeris linguâ vernaculâ edidit, quod opus à discipulo suo Jacobo Guillemeau Latinâ linguâ posteà donatum, Europa omnis tanquam ditissimum Chirurgicæ praxeos thesaurum excepit, Autoris memoriam cum omni posteritate adæquaturum. Obiit 25. April. anni 1592.

M. Joannes COINTERET, Parisinus, Senatus & Castelleti Paris. Chir. Reg. in omni Chirurgicarum operationum genere versatissimus. Obiit 13. Maii anni 1592.

M. Theodoricus DE HERY, Parisinus, Barbitonsoris Chir. Regis Primarii Legatus. M. Jacobum Hollerium celeberrimum Facultatis Parisiensis Professorem audiverat; dein in Domo-Dei Chirurgiæ perfectè exercendæ, ut & sectionibus anatomicis rectè peragendis sedulus incubuerat, Francisci primi Regis turmas in Italiam exindè sequutus, post Papiensem cladem Romam ad usque se contulit, ubi in Xenodochio Sancti Jacobi Majoris tractandis de lue contactis operam dedit assiduam.

Ex Italia in Galliam reversus, adeò certam in hujusce morbi curatione procedendi viam sibi aperuerat, ut in periculosioribus curis suscipiendis & absolvendis cæteros facilè præstaret. Luis itaque Chirurgiæ ad extremum usque senium ad-

dictus, æqualem ſibi famam & fortunam finxit; & de methodo huic morbo medendi tractatum linguâ vernaculâ primus ſcripſit, etiamnùm valdè exiſtimatum.

Inſuper de eo narratur, quod cum in Sancti Dionyſii templo quidam hujus Abbatiæ Religioſus illum antè tumulum Caroli VIII. Regis ferventer deprecantem advertiſſet, ab hoc Religioſo viro fuiſſe admonitum, non licere hunc Regem nuſquam inter Cœlites relatum tanquam deprecatorem apud Deum invocare. Cui reſpondit Hericius, tantùm abeſſe ut Regem hunc Sanctum agnoſceret, quin-imò ſe merâ acceptorum ab eo beneficiorum memoriâ motum, exiſtimare ſe nuſquam ſatis hujus Regis animæ quietem æternam deprecari poſſe, qui ſuâ trans-alpinâ expeditione, lue in Galliam tranſlatâ, ſibimet ipſi ingentis fortunæ ſtruendæ occaſionem præbuerat.

Et quidem veteri traditione invaluit virum hunc ſenio confectum, ſed pluſquam centum & quinquaginta librarum millibus præditum, quæ tunc temporis erat pro privato homine ingens pecuniæ ſumma, extinctum fuiſſe 21. Maii anni 1599.

M. Jacobus MARCHAND, Aurelianenſis, Ant. Collegii Præf. & Caſtelletti Chir. Reg. Obiit 13. Maii, anni 1601.

M. Franciſcus LAUERNOT, Pariſinus, D. Franciſci Franciæ Delphini quondam Chirurgus Prim. in Arte peritiſſimus, Fran-

ciscum à Lotharingia Guisiæ Ducem, ictu lanceæ ab ima super dextri lateris orbitam fronte, ad infimam sinistri occipitis partem, in Icci-portus obsidione transfixum, perfectè curaverat, & tam inauditâ curâ magnum in Chirurgia nomen decusque gesserat. * Obiit 4. Febr. anni 1602.

M. Joannes GUESUIN, Parisinus. Obiit 7. Septemb. anni 1602.

M. Carolus NEVEU, Aurelianensis, Ant. Collegii Præf. & Castelleti Chir. Regius. Obiit 10. Aug. anni 1603.

M. Jodocus BEAUVAIS, Carnotensis. Obiit 9. Octob. anni 1603.

M. Edmundus LA GOUDAY, Lingonensis. Obiit 4. Nov. anni 1603.

M. Franciscus RAMYRE, Hispanus, Medico-Chirurgus illustris, vir disertus, & in Arte plurimùm exercitatus, sub nomine Hispani suo tempore apprimè claruit. Obiit 1. Decemb. anni 1604.

M. Guillelmus DE FLANDRES, Picardus,

* *Nonnulli Galliæ Histor. sicut inter alios Varillatius, miram hancce curationem Lavernotio tribuunt, alii vero, ut Larreus in sua nupera Angliæ Historiâ, Ambros. Paræo illam adscribunt, sed probabile est, quod utrique communis fuerit: nam Paræus in hujus curationis relatione hoc opus Chirurgicum non sibi soli tribuit, uti fecisset si tam singulari tractationi solus manum admovisset.*

Barbitonsoris Chir. Regis Prim. Legatus, in Arte sua distinctus. Obiit 13. Dec. anni 1604.

M. Andreas MOURET, Lemovicus. Obiit 27. Decemb. anni 1604.

M. Joannes DES HAYES, Parisinus, Chir. Regius, suâ in Arte peritiâ distinctus. Obiit 15. April. anni 1605.

M. Rodolphus LE FORT, Sylvanectensis, Chirurgus magni nominis, Collegii Decanus. Obiit 22. Junii anni 1606.

M. Joannes D'AMBOISE suprà memoratus, ex illustri styrpe Ambœsiana genitus, tres habuit filios, qui suo quisque modo, ut jam diximus, famam & fortunam auxerunt, Franciscus, scilicet, Adrianus, & Jacobus.

Franciscus Ambœsius natu major, Caroli IX. liberalitate sustentatus, in Regia Navarra Rethoricam & Philosophiæ cursum absolvit. Dein Humanitatis Professor in eodem Collegio per quatrennium degit, legum postea studiis addictus, in Senatu Parisiensi Patroni munere strenuè functo, in suprema aremoricæ Curia Senatoris gradum obtinuit. Posthàc Libellorum Supplicum creatus Magister, paulò post Henrici III. beneficentiâ Comitis Consistoriani dignitate fuit insignitus.

Cum Musis Latiis & Gallicis juvenis luserat, & suorum juvenilium collectio satis ampla in Bibliothecis sub larvato nomine Theophimi Picardi etiamnùm visitur.

Verùm in provectiori ætate, gravioribus

accinctus studiis, Petri Abelardi operum hinc inde sparsorum collectionem suscepit, ac notis nec non & apologetica præfatione illustravit, in qua per transennam de suæ gentis claritate probationem affert, * dicens quod cum ad Abbatiam Paracleti quædam Abelardi opuscula ibi latentia exploraturum se contulisset à Domina Abbatissa Maria Rupefucaldia consanguinea honorificè exceptum fuisse, cujus, inquit, avia paterna erat Guidonis Ambœsii unica filia, & Domini Calvimontii Ambœsii Franciæ Polemarchi & Tallassiarchæ neptis & hæres. Tractatum etiam de Concilio Senonensi, in quo Abelardi opera damnata fuere, & præfationem super historiam Gregorii Turonensis ediderat.

Non suspensiori gressu ad honores processit Adrianus Ambœsius natu minor, Eccesiæ partem amplexus, siquidem ad usque Præsulis dignitatem se extulit. Caroli IX. Regis liberalitate sicut & Franciscus frater, per totum Humaniorum studiorum, Philosophiæ & Theologiæ decursum in Regia Navarra fuit educatus; & apud Henricum III. ipsius successorem pari gratia valuit.

Jam Socius erat Navarricus cùm in Academiæ Paris. Rectorem fuit electus, cujus nomine immunitatum academicarum comprobationem postulans, ad Regem

* *Bayle Dict. Crit.*

Henricum IV. verba fecit, & postulationem obtinuit. In suo Doctoratu eximium Doctorem M. Michaëlem Thiriot, præconem habuit, in cujus encomio, inter alias laudes, Licentiatum suum Nobilissimis atavis editum palàm prædicavit. Summi Regiæ Navarræ ministerii, necnon Concionatoris & Eleemosinarii Regii, dignitates citò assequutus, Ecclesiæ Parochialis S. Andreæ Artium Parisiensis insuper illi cura delata fuit, ac tandem anno 1604. in Trecorensium Episcopum fuit cooptatus. Obiit, & in Cathedrali Ecclesia fuit inhumatus anno 1616. Ipsius Epitaphium subsequens, Eruditum, Pium, & Venerandum Antistitem prodit.

Ambœsi, pater eruditionum,
Argivâ & Latiâ madens minervâ.
Paulina in Cathedra diserte Præco,
Idemque Hæreseos severe Censor.
Priscorum nova norma Episcoporum,
Antistes pie, pauperum patrone.
Custos virginitatis atque amator.
Tu quocunque ieris sequeris agnum.

M. Jacobus d'Amboise, Parisinus, M. Joanni Ambœsio Chirurgo Regio suprà dicto tertiò natus, patris sui in domo Regia locum occupavit. Post diurnam Chirurgiæ exercitationem cum fama exactam Medicinæ Licentiâ in Facultate Parisiensi strenuè absolutâ, laureâ Doctorali donatus fuit, & inter Medicos Regios adscriptus.

Quo tempore Medicinæ studium decurrebat, Parisiensis Academiæ Rector fuit electus; & sub ejus Rectoratu duo non levioris momenti casus cecidere. 1. Academiæ Parisiensis Henrico IV. Regi dictum Sacramentum. 2. Litis intentæ Academiam inter & Jesuitas judicium, in quibus Jacobi Ambœsii dicendi facultas apprimè claruit. Duas præsertim orationes adversùs hanc Societatem palàm in Senatu habuit, quæ cum ingenti innumeri Concessus plausu auditæ sunt. Obiit 5. Aug. anni 1606.

M. Antonius PORTAIL, Bearnensis, Regis Henrici III. Consiliarius & Chirurgus Primarius, vir sapientiæ, probitatis, & doctrinæ non vulgaris, & singularis in Arte peritiæ. Qui longo & assiduo labore, tàm in Aula quàm in urbe, magnis congestis opibus, suam in Senatu Parisiensi familiam stabilivit, omnibus Togæ honoribus hactenùs fulgentem.

M. Joannes GIRAULT, Litothomus famâ insignis. Obiit 1. Maii anni 1608.

M. Jacobus GUILLEMEAU, Aurelianensis, Regum Caroli IX. Henrici IV. Chir. ordin. insignis probitate, Humanioribus imbutus litteris, celeberrimum Ambrosium Paræum in Arte Magistrum habuerat, cujus sua in Arte solertiâ, tàm in urbe, quàm in Castris, nomen æquaverat. Mulieribus posthinc in puerperio sublevandis præcipuam adjunxit operam, & super hanc Artis suæ partem, in amplo diversorum de Chi-

rurgia tractatuum volumine edito singulariter & doctè scripsit.

Tandem Ambrosii Paræi Magistri charissimi Chirurgia Gallicè edita ab eo in Latinam linguam eleganter & nitidè transmissa, quam in universa Gallia præcellentis Chirurgi famam vivens obtinuerat, moriens reliquit, 13. Martii anni 1609.

Ipsius elogium complectuntur carmina ipsius monumento funebri, sub sonneti formâ Gallicè inscripta, Parisiis, in Ecclesia Parochiali Sancti Joannis in Græвia, ubi sic leguntur.

Passant tu vois icy sous cette froide lame
Sans pouls, sans mouvement, le corps de Guillemeau.
Son nom & ses vertus, de même que son Ame,
Par l'immortalité l'exemtent du tombeau.

Son corps qui gist icy reluisoit par la flame
De son esprit Divin qui leur sert de flambeau.
La parque ne tient pas dans les fils de sa trame,
Sa vie & ses vertus dans le même fuzeau.

Après que Guillemeau par secrets admirables,
Eut gueri tant de maux qu'on croioit incurables,

Enfin il éprouva l'inclemence du sort.

Non plus que ses écrits d'éternelle mémoire,
Son corps ne seroit pas sous cette tombe noire,
Si l'Art eut pû trouver du remede à la mort.

LUDOVICUS XIII. Rex Francorum Christianissimus, Justus, Pius, semper Augustus, in memoriam sui diei Natalitii, qui fuit 27. Septembris, Sanctis Cosmæ & Damiano Sacra, anno Domini 1601. Sodalitati Chirurgorum Parisiensium adscribi voluit, & ipsorum insigniis Florem Lilij radiantem addidit, Regio suo diplomate dato 15. mensis Julij 1611. signato De Lomenie, & à Senatu comprobato die 22. Sept. subsequentis.

M. Petrus PIGRAY, Parisinus, Chir. Regius. In urbe & in exercitibus eximii Chirurgi nomen adeptus, compendiosam Chirurgiam dilucidè & concinnè scriptam, hospitiorum Chirurgis valdè utilem linguâ vernaculâ edidit. Collegii Decanus obiit, 15. Nov. anni 1613.

M. Philibertus PINEAU, Matisconensis, Chir. Reg. & in Arte celebris. Obiit 10. April. anni 1614.

M. Simon PIETRE, Parisinus, vir fuit pietate & peritia commendabilis, ex ea natus familia quæ Medicinæ Facultati

Doctorem eximium, & Collegio Chirurgorum viros in Arte distinctos suffecit. Obiit 4. Julii, anni 1614.

M. Fabianus GARDE', Lugdunensis, Chir. Regius. Obiit 9. Maii anni 1616.

M. Franciscus DE LEURYE, Parisinus, Ant. Collegii Præf. & in Arte famosus. Obiit 20. Jan. anni 1617.

M. Petrus LOUVET, Scotus, Medico-Chirurgus præstantissimus. Obiit 30. Junii anni 1617.

M. Philibertus DU CROS, Tolosanus. Obiit 1. Novemb. anni 1617.

M. Isaac D'ALLEMAGNE, Brito-Gallus. Obiit 1. Nov. anni 1618.

M. Ludovicus HUBERT, filius, Ant. Collegii Præfectus, Henrici Magni Consil. & Chir. Prim. in omni operationum genere versatissimus. Obiit 8. Novemb. anni 1618.

M. Jacobus DE MARQUE, Nannetensis. Obiit 17. Dec. anni 1618.

M. Severinus PINEAU, Carnotensis. Chir. Regius, Litothomus insignis, tres Dissertationes scripsit linguâ vernaculâ super calculi è vesica extrahendi inventionem & operationem, exquisitum præterea tractatum de notis integritatis & corruptionis Virginum, à doctioribus ad hanc usque diem impensè laudatum Latinâ linguâ edidit, veritus, ut ipse ait in suâ præfatione, ne obscenæ materiæ vernacula vulgatio ejus editioni intercederet. Re vera enim,

paulò post hujus operis Latinam editionem Parisiis emissam, ejusdem in linguam Germanicam conversio, non priùs Francofurti vulgata fuit, quin Magistratûs jussu fuerit abrogata, ne horumce arcanorum turpitudo vulgi mentem offenderet. Obiit Collegii Decanus, 29. Novemb. anni 1619.

M. Jacobus DE MARQUE, Parisinus, prioris nepos, Scholastices peritissimus. Introductionem ad Chirurgiam, juxtà exemplar operis Latinè scripti, M. Joannis Tagautij celeberrimi Doctoris & Prof. Facultatis Medicinæ Paris. formatam, in gratiam Tyronum edidit, in qua Theoriæ & Praxeos Chirurgicæ leges præcipuæ, memoriæ sublevandæ causâ tabulis per pluribus præclaro ordine digestæ comprehenduntur. Opus hoc multoties editum, præ utilitate & nitore à candidatis in remotiorem posteritatem nocturnâ diurnâque manu versandum, suum Autorem immortalitate donabit. Obiit 22. Maii, anni 1622.

M. Joannes PHILIPPES, Parisinus, Henrici Magni & Ludovici Justi Consil. & Chir. Prim. in Obsidione Montalbanensi Regiorum Hospitiorum Chirurgi Majoris munus adimplens, obiit 22. Maii anni 1622.

M. Nicolaus HABICOT, Rothomagensis, Anatomicus illustris, plures de humani corporis fabricâ tractatus edidit,

Tyronum captui accomodatos. Obiit 17. Junii anni 1624.

M. Stephanus BISERET, Parisinus. Obiit 3. Jan. anni 1627.

M. Hugo REGNIER, Laudunensis. Obiit 17. Maii, anni 1627.

M. EGIDIUS GOYER, Noviodunensis. Obiit 20. Jun. anni 1627.

M. Joannes LE ROYER, Parisinus. Obiit 30. Jan. anni 1628.

M. Hieronimus DE LA NOÜE, Parisinus, celebris Chir. Obiit 17. Febr. anni 1628.

Filium habuit Anachoretam, qui post acceptam vestem à Rev. Patre Angelo Masseno, in famoso rupis Sancti Angeli eremo propè Viterbium, in Gallia redux anno sequenti, super montem Valerianum tribus à Lutetia leucis distantem, reclusam vitam amplexus, hujus loci clausulæ quintus incola fuit. In hac cellula solemniter inclusus fuit, ex ea ad interitum usquè non egrediendus, ab Antistite Parisiensi & Abbate San-Dionysiaco 1. Maii anni 1608. in eaque per plures annos durè & asperè degit, sub nomine Fratris Seraphini, piis Reginæ Margaritæ Valesiæ eleemosinis sustentatus, usquequò sanctitatis famam morte sua fuerit consequutus.

M. Stephanus BINET, San-Quintinianus, vir disertus, & humanioribus disciplinis imbutus. Lectiones Chirurgicas M. Germani Curtini celeberrimi Doctoris & Professoris

fessoris Facultatis Medicæ Paris. de Latina lingua in Gallicam transtulit. Obiit Regiorum Hospitiorum Chirurgus Major in obsidione Rupellensi 20. Septemb. anni 1630.

M. Petrus CORBILLY, Meldensis. Obiit 18. Martii, anni 1630.

M. David DE LA CORBINIERE, Luzarchianus, Ant. Collegii Præf. Obiit 20. Nov. anni 1635.

M. Guillelmus MARCEAU, Parisinus, D. Sabaudiæ Ducissæ Chir. Prim. & in Arte expertissimus. Obiit Augustæ Taurinorum, 12. Junii anni 1636.

M. Laurentius GUERIN, Cabillonensis, Ant. Collegii Præf. Obiit 28. Novemb. anni 1638.

M. Joannes BONNART Parisinus, Ant. Collegii Præfectus, tractatus tres scripsit, scilicet, de ossium compage, de venæ sectione, & de medicamentis, tàm simplicibus quàm compositis, sub hebdomadarum titulo candidatorum specimini accommodatis. Obiit 15. Decemb, anni 1638.

M. Joannes DE LAUNAY, Parisinus. Obiit Collegii Decanus 18. Octob. anni 1641.

M. Joannes YBERT, Peronæus, celebris Chirurgus. Obiit 4. Novemb. anni 1641.

M. Claudius Imbert. Obiit 9. Septemb. anni 1642.

M. Nicolaus THOGNET, Parisinus, inter ævi sui Chirurgos famâ insignis, uti patet

carminibus Gallico idiomate inſcriptis ſuo monumento funebri, in Baſilica Sancti Stephani ſuprà montem Sanctæ Genovefæ, quæ inferiùs leguntur. Obiit 29. Dec. anni 1642.

Paſſant, qui que tu ſois, arrête & conſidere,
Qui gît ſous ce tombeau:
Tu ſçauras que Thognet, par un ſecret myſtere,
Ce monde abandonna pour en prendre un plus beau.
Son Art & ſon ſçavoir garantiſſoient les hommes
Bien ſouvent de mourir.
Mortels penſez à vous, dans le ſiécle où nous ſommes,
Puis que Thognet n'eſt plus, qui pourra nous guerir?

Solâ maledicendi propenſione, hoc Epitaphium perversè interpretatus eſt noſtræ ætatis Autor, in ſua Pariſiorum deſcriptione; & hac in re dupliciter mendoſum ſe prodidit. 1. Hocce funebre monumentum pro Chirurgo factum, Medico attribuendo. 2. Malignè ſupponendo hocce Epitaphium à dicto Medico ſibimetipſi compoſitum fuiſſe. Nam ſi hujus Epitaphii carminibus amici aut conſanguinei defunctum laudibus tollere voluerunt, quorsùm defunctus vanæ gloriæ eâ de causâ inſimulabitur? Sed tanta eſt in hac Pariſiorum deſcriptio-

ne accurationis ubique penuria, ut facilè conjecturâ assequi liceat, hunc Autorem super quamcunque rem aliquâ explanatione indigentem, malevolo genio se se libentiùs tradidisse, quàm rei ancipitis dilucidam enodationem quæsivisse; ex iis nimirùm scriptoribus mercenariis qui ad sordidum lucrum prompti, operum correctioni indormire pro nihilo putant.

M. Claudius COUTURIER. Obiit 6. Oct. anni 1643.

M. Joannes BROUST. Obiit 7. Decemb. anni 1643.

M. Mathurinus ALTON, Cenomanensis. Obiit 22. Decemb. anni 1643.

M. Andreas PINEAU, Humæus, Ant. Collegii Præf. Obiit 27. Dec. anni 1644.

M. Guillelmus POULET, San-Quintinianus. Obiit 6. Jun. anni 1645.

M. Paulus MARCHAND, Cariportensis. Obiit 5. Feb. anni 1646.

M. Edoardus WARNETON, Londinensis. Obiit 4. Novemb. anni 1648.

M. Mathæus CHANTEAU, Parisinus. Obiit 6. Feb. anni 1649.

M. Hieronimus LE CERTAIN, Vesuntianus, Chir. Reg. Obiit 15. Febr. anni 1649.

M. Sebastianus COLIN, Parisinus, Ant. Collegii Præf. vetustiores chartas à Philippo Pulchro & subsequentibus Franciæ Regibus usque ad Ludovici Magni Regnum Togatorum Chirurgorum Collegio concessas, in unum collegit, & typis mandavit.

Postea à Maria Gonzaga Nivernensi Polonorum Regina in Chirurgum Primarium adoptatus. Obiit Warsoviæ 19. Septemb, anni 1650.

M. Henricus BARDON, Noviodunensis. Obiit 10. Novemb. anni 1650.

M. Joannes BONNET, Parisinus, Domus-Dei Chir. præcipuus, in omnibus Chirurgicis operationibus apprimè versatus. Obiit 7. Octob. anni 1651.

M. Joannes DE LA NOÜE, Parisinus, veteris hujus Chirurgorum familiæ solus superstes, ab atavis non degener, Collegii Decanus. Obiit 3. Junii anni 1652.

M. Joannes GRANGER, Parisinus, Anatomicus valdè existimatus. Obiit 14. Nov. anni 1652.

M. Joannes MACHAUX, Parisinus. Obiit 9. Jan. anni 1653.

M. Godefridus GENDRON, Obiit 20. Feb. anni 1653.

M. Carolus POULET. Obiit 9. Septemb. anni 1654.

M. Nicolaus COLIASTRE. Obiit. 1. Oct. anni 1655.

M. Joannes DE GOURNAY. Obiit 27. Octob. anni 1656.

M. Ludovicus D'AVEGO. Obiit 30. Oct. anni 1656.

Tunc temporis, Collegium Chirurgorum Togatorum, & Societas Magistrorum Barbitonsorum Chirurgorum solemni inter se conventione facta, in unam & eandem

Societatem coaluere. Quæ conventio incohata fuit 1. Octob. anni 1655. & Senatûs authoritate munita 7. Septemb. anni subsequentis 1656.

M. Stephanus Boison, Laudunensis. Obiit 18. Decemb. anni 1657.

M. Guillelmus Monet, Bituricus, à scelesto quodam absque titulo Artem exercente, quem idcircò Societas lite persequebatur, pro Societatis Præfecto reputatus, proditoriè trucidatus fuit, anno 1657.

M. Joannes Boudet, Ludovici Magni Barbitonsor Chir. Prim. novæ Societatis Decanus. Obiit 7. Aug. anni 1658.

M. Simon Pimpernelle, Parisinus, vir disertissimus, Consultor famosus, Societatis Barbitonsorum Chirurgorum quater Præfectus. Obiit 7. Novemb. anni 1658.

M. Franciscus Thevenin, Parisinus, Chir. Reg. Lithotomus, & Medicus Ocularius magni nominis. Librum composuit tres tractatus complectentem; primum scilicet, de operationibus Chirurgicis; alterum de tumoribus præter naturam; denique vocabularium Etymologicum dictionum Græcarum in Medicorum & Chirurgorum scriptis passim obviarum, post Authoris interitum à M. Guillelmo Parthone ipsius nepote & Regis Oculario Medico in lucem editum. Obiit 25. Novemb. anni 1658.

M. Joannes Guillauteau, Parisinus,

Anatomicus eximius. Obiit 10. Decemb. anni 1658.

M. Joannes Juif, Castellonei suprà Ingerim natus, Chir. Regius Emin. Cardinali Duci Richellio supremo Regni Administro acceptissimus; inter ævi sui Chirurgos præstantiores, sagaci & intrepidâ in operationibus quibuslibet perficiendis audaciâ, facilè primus. Chirurgiam incisoriam magis quàm anteà vulgarem fecit. Pauperibus ex arte & ex ære juvandis operam dedit assiduam, nec minùs pietate quàm cœteris dotibus perfecto Chirurgo congruis præcellentem se præbuit. Obiit 30. Decemb. anni 1658.

Filium habuit natu majorem iisdem virtutibus ornatum, & suâ imprimis ergà pauperes infirmos humanitate commendabilem, qui post mortem pii Sacerdotis in tota urbe noti, sub nomine Patris Bernardi, illius exemplo in magno Hospitio Fratrum Charitatis, humilioribus infirmorum ministerii operibus totum se devovit.

M. Raymundus Fourmentin, Auriflori in Neustria, ex ea natus familia quæ à Ludovico XI. Rege in Nobilium Album adscripta fuerat, Litteris datis in urbe Atrebatensi mense Junio anni 1478. in gratiam Francisci Fourmentin Scutarii, morantis in Parœcia Sancti Martini Auriflorensis, qui in Italia fortiter dimicatus, à D. Albignitio copiarum Duce Equitis ti-

tulo donatus fuerat. Raymundus verò, de quo hîc agitur, magni fuit in Arte sua nominis, & plures habuit discipulos famâ celebres, M. M. videlicet Martinum d'Alence, Joannem Baptistam Perducat Patrem, Joannem Hellot Patrem, Joannem Devaux Patrem, & alios perplures posthàc memorandos. Ingenti in urbe famâ consilio & manu sibi conquisitâ, obiit 1. Jan. anni 1659.

Filium reliquit unicum, Aurelianensis Ecclesiæ Pro-Decanum & magnum Vicarium, in rebus Theologicis profundè scium, & veteris Ecclesiæ disciplinæ notitiâ præcellentem: sæpè à Cleri Gallicani concessibus in gravioris momenti negotiis de sua sententia sciscitatum; Eminentissimo Cardinali Cœslennio Aurelianensiùm Antistiti, & Magno Franciæ Eleemosinario, apprimè charum, cui in Conclavi summi Pontificis Clementis XI. contubernalis fuerat.

Illius virtutis evictus novus Pontifex, præ ineundo Sacerdotio modestiam expugnare volens, ei pergratum fore significavit si pro suæ existimationis pignore, sui Pontificatûs initio è propriis manibus Sacerdotii dignitatem vellet percipere. Sanctissimo Patri respondit, tenuitatis suæ probè conscium, se semper tremendo Sacerdotalis dignitatis oneri ferendo imparem agnovisse, cujus dignitatis pondus si juvenis reformidaverat, hoc senex debilioribus humeris imponere absque temeritate non valebat.

M. Mathæus SAUZEA, in Vaſconia natus. Obiit 5. Feb. anni 1659.

M. Jacobus de CONDE'. Obiit 19. Feb. anni 1659.

M. Petrus CASTAGNET. Obiit 6. Martii anni 1659.

M. Simon DEBONNAIRE, D. Ducis Aurelianenſis Chir. ordin. Obiit 24. Martii anni 1659.

M. Joannes SARDIN, Pictavienſis. Obiit 29. Martii anni 1659.

M. Joannes LE TOURNEUR, Pariſinus, Societatis præfecturam gerens. Obiit 30. Martii anni 1659.

M. Joannes DOLE, Ant. Præf. Obiit 3. Junii anni 1659.

M. Carolus SERRES, Lugdunenſis. Obiit 20. Aug. anni 1659.

M. Chriſtianus LE BRETON, Piſſiacus, Illuſtriſſ. D. Caroli de Albaſpina Caſtellinovi Marchionis, ſigillorum Galliæ Cuſtodis Chirurgus Commenſalis; vir litteratus. Docta ſuper Aphor. Hipoc. Scholia ſcripſerat, in muſæo D. Chomel Medici Reg. generis ſui hactenus deliteſcentia. Obiit 5. Decemb. anni 1659.

M. Mauritius AUBERT, Henricæ Franciæ, Magnæ Britanniæ Reginæ, Caroli primi Regis Anglorum, ſubditorum parricidio truncati, conjugis Auguſtæ Chir. Prim. Obiit 28. Decemb. anni 1659.

M. Jacobus DE LA CUISSE, in omnibus quæ ad puerperia ſpectant expertiſſimus.

Difficiliorum partuum peragendis operationibus in urbe tota præ aliis fulsit. Obiit 9. Feb. anni 1660.

M. Carolus PETITBON, Parisinus. Obiit 19. April. anni 1660.

M. Jacobus GALLOIS. Obiit 22. Julii anni 1660.

M. Guillelmus TANNERIE. Obiit 27. Jul. anni 1660.

M. Lucas DE MOLLE. Obiit 19. Octob. anni 1660.

M. Guillelmus BEGUIN. Obiit 29. Octob. anni 1660.

M. Claudius DUVIEU, Parisinus. Obiit 1. Feb. anni 1661.

M. Martinus BELLOIR, Senatus Chir. Reg. Obiit 6. Martii anni 1661.

M. Robertus BOUDELAS. Obiit 19. Maii anni 1661.

M. Gaspardus GONIN, Parisinus, Nosocomii Parisiensis Chirurgus præcipuus, in omni operationum genere versatissimus. Obiit 25. Julii 1661.

M. Jacobus CLAQUENELLE, Parisinus, Chir. Regius. Obiit 5. Novemb. anni 1661.

M. Petrus CRESSE', Parisinus, inter præstantiores ævi sui Consultores & Operatores meritò numerandus. Obiit 15. Novemb. anni 1661.

M. Joannes ROBIN, Parisinus, Societatis Decanus. Obiit 6. Martii anni 1662.

M. Joannes DE LAVAL, Parisinus, singulari Phlebotomes peritiâ primùm in urbe claruit; dein ad Mariæ Mediceæ Francorum Reginæ Chir.Prim.gradum evectus, ipsius in Aula facilitate morum & comitate, non minori fulgore conspicuum se præstitit. Obiit 21. April. anni 1662.

M. Ludovicus DROÜET. Obiit 24. April. anni 1662.

M. Claudius JACOBÉ. Obiit 30. April. anni 1662.

M. Christophorus BERNIER. Obiit 2. Maii anni 1662.

M. Stephanus DAVID, pater, Parisinus, venarum sectionem in urbe cum universo plausu celebravit. Obiit 7. Maii anni 1662.

M. Nicolaus GABURET, vir pietate & morum candore spectabilis, inter Societatis beneficos scribendus, cui crucem argenteam & duo candelabra altaris ministerio inservienda donavit. Obiit 2. Junii anni 1662.

M. Nicolaus DAILLY. Obiit 3. Julii anni 1662.

M. Philippus HEBERT, Societatis Decanus. Obiit 17. Junii anni 1663.

M. Carolus GARNIER, Chir. famosus. Obiit 20. Junii anni 1663.

M. Stephanus MERINIER, Bellovacus. Obiit 27. Junii anni 1663.

M. Joannes MESNARD, Parisinus, D. Chir. Regis & Barbitonsoris Prim. Legatus,

in urbe Consultor & Operator præstantissimus. Obiit 4. Julii anni *1663.*

M. Renatus DES JAN. Obiit 1. Aug. anni *1663.*

M. Alexander GUILLEMAIN. Obiit 5. Aug. anni *1663.*

M. Carolus DESNARD. Obiit 15. Sept. anni *1663.*

M. Arnaldus D'ACHETER. Obiit 3. Nov. anni *1663.*

M. Thomas L'EVESQUE. Obiit 3. Nov. anni *1663.*

M. Severinus DU VIEU, pater, Parisinus. Obiit 6. Martii anni *1664.*

M. Jacobus HAULTMONTE'. Obiit 3. Aug. anni *1664.*

M. Joannes DE ST. OMER. Obiit 5. Sept. anni *1665.*

M. Philippus GASTEAU. Obiit 4. Junii anni *1666.*

M. Petrus JAQUEMAIN. Obiit 13. Junii anni *1666.*

M. Ludovicus JEAUME, Bellicardensis. Obiit anno *1667.*

M. Joannes D'AGNEAUX. Obiit 20. Sept. anni *1667.*

M. Franciscus OUVRARD. Obiit 16. Nov. anni *1667.*

M. Antonius RUFFIN, pater, Parisinus, magni nosocomii Fratrum Charitatis Chir. præcipuus, Lithotomus insignis. Obiit 27. Julii anni *1667.*

M. Ludovicus PRIOULT, pater, Parisi-

nus, Phlebotomes peritiâ distinctus. Obiit anno 1668.

M. Paulus ARNAUD, pater, Gratianopolites. Obiit 4. Julii anni 1669.

M. Ludovicus CHAPERON, Parisinus. Obiit 10. Sept. anni 1669.

M. Jacobus LE LARGE, Picardus, Chirurgus eximius, Consultor famosus, & in lue curanda expertissimus; vir insuper probitatis plenus & bonæ cum sociis consuetudinis. Obiit ditissimus 3. Apr. anni 1670.

Filium habuit natu majorem Doctorem Medicum Parisiensem præstantissimum; Mariæ Franciscæ à Sabaudiæ Nemorosiensis, Alphonsi V. Lusitaniæ Regis primùm, deindè D. Petri Regentis, & posteà fratris Alphonsi Successoris, successivè conjugis Archiatrum, cui Officiorum Reginæ præstitorum, Christi Regius Ordo præmium fuit.

M. Joannes CHAILLOU, Parisinus. Obiit 27. Maii anni 1670.

M. Franciscus FREMIN, Parisinus, Ant. Præf. venarum sectionem cum magna fama peregit. Obiit 31. Maii anni 1670.

M. Franciscus HERARD, filius, Parisinus. Obiit juvenis 16. Julii anni 1671.

M. Stephanus JUVERNAY, Parisinus, splendoris Chirurgorum Togatorum scholæ reliquias in se complectens, linguarum Græcæ, Latinæ & vernaculæ æquè peritus, sapientiâ conspicuus, insignis probitate, eloquio potens. Quoties Societatis ministerium palàm dicendi occasionem illi suf-

fecit, eruditione & facundia omnium in se concitavit admirationem.

Artis suæ dignitatis plenus, praxim Chirurgicam, non demissè & serviliter Barbitonsorum more, sed honestâ & magistrali gravitate exercuit; & pauperibus qualibet occasione datâ salutares manus adhibens, ab universo Sociorum & proborum cœtu desideratus, obiit 9. April. anni 1672.

Filium reliquit paternæ facundiæ hæredem, qui in ordine R. R. Patrum Ordinis Sancti Francisci Recollectorum, concionibus suis magnum ubique nomen sibi fecit.

M. Carolus COLLART, Parisinus. D. Gastonis Aurelian. Ducis Chir. Prim. in anatomica sectione peritissimus. Obiit 7. Aug. anni 1672.

M. Christophorus DE CONDE'. Obiit 5. Aug. anni 1672.

M. Franciscus QUATROUX, D. Suessionensium Comitis Chir. Obiit 6. Septemb. anni 1672.

M. Nicolaus PIETTRE, pater, Parisinus, Ant. Collegii Præf. Societ. Decanus. Obiit 11. Octob. anni 1673.

M. Ludovicus GAYANT, Picardo-Claromontanus, Ant. Præf. Regiæ Scient. Academiæ Socius, Anatomicorum sui temporis in Gallia facilè primus. Sectionibus & demonstrationibus Anatomicis publicis in scholis & privatim frequenter exactis, chili receptaculi, & ductûs thorachici chi-

lum ad cor vehentium inventioni à Celeberrimo Pecquetio feliciter absolutæ non parcè contulit. Regiorum exercituum Consultoris Chirurgi munus adimplens, obiit Trajecti ad Mosam, 19. Octob. anni 1673.

M. Petrus HIDEULX, Picardus, vir candoris plenus, & in Arte celebris. Obiit 22. Octob. anni 1673.

M. Joannes DE LA PORTE, Parisinus, Chir. Togatus, Regis quondam Chir. ord. in Arte peritissimus. Societatis Decanus obiit, 3. Novemb. anni 1673.

Ipsius filius natu major, rei ærariæ perfectè scius, citò inter Publicanos supremi ordinis locum obtinuit, sibique & familiæ ingentem fortunam struxit.

M. Stephanus GUILLART, Parisinus, vir morum integritate spectabilis. Obiit 7. Feb. anni 1674.

M. Armelus GUERRIER, Campanus. Obiit 9. Feb. anni 1674.

M. Jacobus HARAN, Domus-Dei quondam Chir. Lithotomus expertissimus. Obiit 27. Feb. anni 1674.

M. Jacobus COLOMBE, Rothomagensis, Chir. Togatus. Obiit 13. Aug. anni 1674.

M. Mathæus BERTHEREAU, Andegavensis, vir fuit probitate, modestia, & eruditione commendabilis. Perfectis in urbe natalitiâ humanioribus studiis, Parisiis in Lexovæo Philosophiæ cursum implevit. Posthinc in Domo-Dei Chirurgiæ exercens

primordia, lectionibus præterea Medicis & Chirurgicis Medicorum in scholis adesse non desiit.

Chirurgiæ Magisterium Rupellæ primùm adeptus, post merita in Lud. XIII. exercitibus sub legionis Pedemontanæ Chirurgi Majoris titulo, plurium expeditionum stipendia, Lutetiæ redux, in Collegio Togatorum lauream obtinuit.

Dein Eminentiss. Cardinalem Richellium in bellicis expeditionibus sequutus, tantâ fuit apud supremum hunc Regni Administrum gratiâ, ut ab eo, præter amplas remunerationes, Regiorum Castrorum & exercituum Chirurgi majoris diploma obtinuerit; quod munus adimplens in Atrebatensi obsidione, D. Josiam Comitem Rantzauvium Franciæ exindè Polemarchum, gravissimo vulnere in superiori crure sauciatum, hujus membri ademptione, præter omnium expectationem, vitæ & exercitus votis restituit; & hac solemni curâ, miram in se contulit existimationem.

Parisiis posteà vitam in secessû degens totum se Cartesianæ Philosophiæ addixit, & ipsius principia adversùs Peripateticorum præjudicationes, in omnibus sciorum congressibus audacter sustinuit. Doctorum præsertim celeberrimorum Bourdelotii & Ægidii Menagii popularis sui cœtus sedula frequentatio viri sanæ mentis & solidi judicii famam apud Litteratos sibi demeruit.

Cœterùm paucis contentus, & nil quidquam genio indulgens, ſtricto neceſſario ex annuo cenſu percepto, reſiduum quodlibet pauperibus erogans, plures familias ſub egeſtatis verecundiâ marceſcentes, ad obitum uſque ſuſtentavit, & Domum Dei quam ſui reditus vivens fecerat participem, totius ſubſtantiæ pluſquam ſeptuaginta & decem librarum millia colligentis, hæredem inſtituit.

Tandem præ ſenio onuſtum corpus gerens, & ſibimetipſi, ut hactenùs fecerat, opitulandi invalidus, è Sancti Dionyſii in carcere ſepto, ubi jamdiù occultus latuerat, in hoſpitium trecentorum viſu orbatorum transferri voluit, curis M. Caroli Daron hujus Xenodochii Chirurgi veteris amici, ad interitum uſque ſe commiſſurum. Obiit in hoc ultimo receſſu 7. Feb. anni 1675.

M. Martinus D'ALENCE', Turonenſis, Sereniſſimum Ludovicum Borbonium Condæum, Regiæ Styrpis Proto-Principem, in primis Caſtris ſequutus, præcellentis Operatoris Chirurgi famam in exercitibus ſibi comparaverat. Poſthàc in urbe valdè exiſtimatus, lui curandæ impenſam dedit operam, & ingentem afflictorum copiam ab infeſti hujus morbi tyrannide exemit. Obiit 20. Maii anni 1675.

Filium reliquit unicum Scribam Regium, in mathematicis & mechanicis periтiſſimum, uti quibuſdam tractatibus ab eo

editis manifestum fuit, insuper Principum jura apprimè calluit, & à Belgii Præfecto delegatus dudùm in secretis actionibus operam posuit.

M. Dionysius Bodot, Picardus, primus fuit extinctus eorum qui ab unione in Societatem fuerant adoptati. Obiit 7. Jun. anni 1675.

M. Carolus LAMBIN. Obiit 4. Aug. anni 1675.

M. Renatus LANGLOIS. Obiit 13. Aug. anni 1675.

M. Benedictus AUDIER. Obiit 5. Dec. anni 1675.

M. Petrus CLEMENT. Obiit 17. Decemb. anni 1675.

M. Andreas FORBET. Obiit 2. Feb. anni 1676.

M. Joannes PERDUCAT, pater, Parisinus, eximius Chir. in lue tractanda expertissimus; majorem obtinuisset famam ni fuisset ætate adhuc vigente paralysi tentatus. Obiit 17. Martii anni 1676.

M. Petrus MAGNY, Picardus, Ant. Præf. Obiit 1. April. anni 1676.

M. Bernardus BORDEGARAIS, Gratianopolites. Obiit 13. April. anni 1676.

M. Julianus BESNARD, D. Vindemicensium Ducis quondam Chir. Obiit 20. Julii anni 1676.

M. Antonius PIETTRE, filius, Chir. Togatus. Obiit 14. Jul. anni 1676.

Nobilissimus D. Franciscus Felix DE

Tassy, pater, Avenionensis, Lud. Magni Consil. Chirurgus Prim. totius Regni Chirurgiæ Arbiter; Theoriæ & Praxeos Chirurgicæ profundè scius, Regi & Regni proceribus acceptissimus. Obiit 5. Aug. anni 1676.

Ex eo insuper dici potest vir ille eximius, sicut nomine, ita & re ipsa Felix, imò felicissimus, quòd duos ex se genitos reliquerit, qui nominis sui famam æquè illustrarunt. Natu scilicet majorem, suum in Domo Regia successorem dignissimum: alterum verò Socium Sorbonicum, Regalis Ecclesiæ Sancti Sacelli Vincennarum primò Thesaurarium, deindè doctrinæ suæ in sacris concionibus edito specimine, Diniensis Ecclesiæ illustrissimum Præsulem, tandem Cabillonensium Antistitem meritissimum, Episcopalium virtutum aggregatione, & assiduâ præsertim in sua Diœcesi immoratione commendabilem.

M. Joannes Mennereau, Parisinus. Obiit 21. Novemb. anni 1676.

M. Jacobus Papelard, Luzarchianus, Mariæ Medicæ Franciæ Reginæ matris Chir. ordin. Obiit 5. Dec. anni 1676.

M. Joannes Mongelet, Lotharingus, serenissimum licet Principem Contejum in Castris Catalanicis sequutus, jam anteà peritissimi Chirurgi famam sibi demeruisset, attamen Parisiis immorandi desiderio motus, in magno Fratrum Charitatis Nosocomio, assiduo sex annorum pauperibus

ſublevandis miniſterio, magiſterium aſſequi voluit. Obiit 5. Jan. anni 1677.

M. Guillelmus GISENCOUR. Obiit 10. Jan. anni 1677.

M. Henricus DE CHAMPAGNEUX, Pariſinus, peregrinationum cupidine captus, ſub Artis ſuæ patrocinio, univerſas Indiarum Orientalium plagas peragravit; ac tandem Ordini Patrum Societatis Jeſu ſe adjungere volens, hujus adimplens Religioſæ vitæ tyrocinium, in urbe Goa Luzitanicæ ditionis Principe obiit, 7. Jan. anni 1677.

M. Joannes LAGARIQUE, in Vaſconia natus. Obiit vigente ætate 30. Jan. anni 1677.

M. Jacobus CRESLOT, Nanceianus, Ant. Præf. Sereniſſimi Lotharingiæ Ducis Caroli III. Chir. fuerat, à quo poſt contumacem quandam affectionem perbellè curatam, in Nobilium Album fuerat adſcriptus. Poſteà Pariſiis manſione conſtituta, D. Chir. Regis Primarii in Præfectura & Vice-Comitatu Pariſienſi Legationem exercuit. Obiit 28. Aug. anni 1677.

M. Franciſcus GUIART, filius, ingentis ſpei juvenis. Obiit in obſidione Iprenſi 31. Maii anni 1678.

M. Carolus COURTOIS, Virdunenſis. Obiit 2. Nov. anni 1678.

M. Stephanus ALLERON, Avenionenſis. Obiit 13. April. anni 1679.

M. Claudius FOURRIER, ſuper Calvum-

montem agri Baſſigniaci natus. Obiit 27. April. anni 1679.

M. Franciſcus DE LEURYE, Pariſinus, Chir.Togatus, Phlebotomes peritiâ diſtinctus. Obiit 25. Maii anni 1679.

M. Robertus ROUSSEL, Noviodunenſis, Chirurgicæ Scholaſtices peritus; pluſquàm triginta candidatis viam ad magiſterium ſtraverat. Obiit 1. Septemb. anni 1679.

M. Antonius NAVARRE, filius, Pariſinus. Poſt tertiam in Regiis Caſtrorum Hoſpitiis expeditionem obiit juvenis. 1. Jan. anni 1680.

M. Bonnaventura GUYART, pater, Rhemenſis, Ant. Præf. in cathetere intromittendo verſatiſſimus, & in tractandis meatus urinarii affectibus expertæ induſtriæ. Obiit 1. Jan. anni 1680.

M. Joannes ARPARENS, Caletenſis. Obiit 3. Jan. anni 1680.

M. Daniel RHODIER. Obiit 1. Jan. anni 1681.

M. Petrus THIERRY, Bellovaco-Claromontanus. Obiit 27. Aug. anni 1680.

M. Gilbertus CHAMBON, Molinenſis. Obiit 12. Nov. anni 1680.

M. Jacobus LE FEVRE, Pariſinus, parturientium mulierum adjutor famâ inſignis. Obiit 28. Novemb. anni 1680.

M. Renatus DU TERTRE, pater, in vico Andegavenſis Ducatus Montabon vulgò dicto natus, ad liberos in partu excipiendos expertiſſimus. Obiit 10. Dec. anni 1680.

M. Michaël D'ARAGON, Pissiacus. Obiit 1. April. anni 1681.

M. Joannes HELLOT, pater, Rothomagensis, morum integritate spectabilis, & in Artis suæ Theoria & Praxi æquè peritus. Obiit 21. April. anni 1681.

M. Carolus SINOQUET, Noviodunensis. Obiit 3. Novemb anni 1681.

M. Petrus OLIVIER, pater, Parisinus, in lue tractanda expertus. Obiit 15. Dec. anni 1681.

M. Joannes BIENNAISE, Maceriacus, Senatus Chir. Regius, inter Artis suæ celebriores perillustris, & in periculosioris aleæ Chirurgiâ tentandâ solers & intrepidus Operator. Tendinum suturas formidolosâ Chirurgorum socordiâ jamdiù neglectas in usum revocavit, & audacter aggressas, fausto cum exitu semper absolvit.

Pro Domina Anna Austriaca Franciæ Regina matre, voracis mali laniatione dirè vexatâ, in concilium vocatus, perfectæ hujus morbi curationis vanam spem Regi ac Regni proceribus, ab Agyrtis & Pseudo-Medicis altè firmatam, funditùs evertit, & adversùs harum Medecinæ quisquiliarum insulsas nænias, palliationem solidis rationibus & divini senis sententia fultum tanquàm efficacius pro ineluctabilis mali fato removendo præsidium fortiter evicit.

Illustrissimi D. Francisci Harlæi, tunc Rothomagensium & paulò post Parisien-

ſium Antiſtitis, ex arteria brachii in venæ ſectione fatali Doctoris Medicis, [a] Chirurgi Præſulis ordin. vices temerè gerentis allucinatione pertuſa, in urgenti diſcrimine ſtantis, nominis magni Sociis [b] ægri levamini fruſtrà accitis curationem ſuſcepit, & feliciter abſolutâ curâ, præter amplioris honorarii largitionem, illuſtriſſimus Antiſtes annuæ octingentarum librarum aſſignatâ pecuniâ, ſe à peritiſſimo Chirurgo vitam habere reſiduam palàm agnovit.

Ludovicum Magnum in Belgicis expeditionibus per biennium ſequutus, tanti Regis virtutis ſemper & meriti vindicis, favorem & fidem ſibi demeruit.

Summæ in Arte peritiæ, & cœteris dotibus, adhuc præpolluit ſua ſingularis ergà pauperes infirmos beneficentia, cujus æſtu percitus undequaquè in ſuas ædes confluentibus ægris, quotidie hora data mederi non deſiit, illis præceptiones ſuas & medicamina gratis exhibere, & ex ære juvare, divitibus poſthinc operam daturus, & ſic pauperum effectus pater, proprio filio

[a] *Hicce Doctor nom. le Bel fuit D. Duciſſæ Aurel. Archiater.*

[b] *Socii fuere Petrus Tourbier & Jacobus le Bel ſectoris pater, de quibus infra, qui è Lutetia Rothomagum ad Præſulis curationem acciti, ſui vulneris tractationi per dies* 40. *operam fruſtrà poſuerant.*

non parcitus, hæreditatis suæ portionem egenis commodandam illi auferre non dubitavit.

Demùm publicæ utilitati & Artis decori consulens, suæ Societatis publicas Institutiones, præ tenui censu firmatas, imò labantes ac penè extinctas restituendi causâ, annuo sexcentarum librarum reditu delegato de novo instauravit; & sic duos Anatomes & Chirurgiæ Demonstratores instituendo, Chirurgorum saniore doctrinâ imbutorum indesinentem laticem ex hac Regia Societate in Galliam & Europam omnem dimanare curavit. Obiit octogenarius 21. Dec. anni 1681.

M. Ludovicus GABORREAU, in vico Neustriæ inferioris propè Abrincatum Usé vulgò dicto natus, Ant. Præf. Lithotomus peritus. Post longam in Nosocomio Paris. Chirurgiæ exercitationem à D. Christiana Alexandra Gothorum Regina, post Regni abdicationem Romæ degente, in Chirurgum Primar. adoptatus, Reginæ per septem annos operam dedit assiduam. Posthinc in Galliam reversus Artem suam Parisiis cum laude exercuit, & ætate adhuc vigente obiit, 13. Octob. anni 1682.

M. Antonius BERTRAND, pater, in vico Vivariensis Provinciæ Chatilleux vulgò dicto natus, Chirurgus famosus, intrepidus Operator, nec non percelebris publicis in scholis Anatomes & Chirurgiæ Demonstrator. Obiit 3. Octob. anni 1682.

M. Petrus BRONSARD, Andegavensis, Obiit 4. Jan. anni 1683.

M. Franciscus MARCEZ. Obiit 5. Feb. anni 1683.

M. Petrus DE LEURYE, Parisinus, præcedentis frater, Ant. Præf. Chir. Togatus, in lue curanda famam obtinuerat. Obiit 5. Feb. anni 1683.

M. Petrus CLAVIER, Parisinus, in Arte peritissimus secundæ Cohortis Sclopetariorum excubiæ Regiæ Chir. Major. Obiit 4. Nov. anni 1683.

M. Dionysius FOURNIER, Latiniacus, Chirurgicæ Prothefeos peritus, plurium organorum inventor & fabricator, difficiliorum curationum audax tentator. Tractatus plures de corporis humani structura, de ossium morbis, ac præsertim de fracturis & luxationibus organorum ope reducendis edidit. Quædam præterea de partuum praxi typis mandavit. Obiit 25. Nov. anni 1683.

M. Franciscus HERARD, pater, Parisinus, vir spectatæ integritatis, insignis pietate, & in Arte celebris. Ex iis fuit quorum effigies Ludovici Magni jussu æri incisa fuit, & inter virorum se regnante in Artibus Illustrium Icones inserta. Obiit 24. Decemb. anni 1683.

M. Thomas DEYMIER, Parisinus. Ant. Præf. Obiit 27. Dec. anni 1683.

M. Martinus ROGER, Nobilis Lotharingus, è veteri Togatorum Collegio, & idcirco

idcircò agentis claritate non degener, Nobilium Cohortis à Ludovico Magno Dunkerkæ evectæ Chirurgus Major. Obiit 28. Jan. anni 1684.

M. Jacobus LE BEL, in Vasconia natus, Phlebotomus peritus. Obiit 28. Jan. anni 1684.

M. Faro DESFORGES, Dixiensis, visionis licet jacturam passus, mulierum parturientium celebris auxiliator, & eâ de causa à verecondioribus præ aliis accitus. Obiit 8. Aug. anni 1684.

M. Franciscus DE LA MARLE, Ant. Præf. Obiit 3. Julii anni 1684.

M. Petrus D'AILLY, Parisinus. Tractatum de sclopetorum vulneribus incerti Autoris Italicâ linguâ scriptum in Gallicam transtulit. Obiit 8. Aug. anni 1684.

M. Petrus DU LARY, Meldensis. Obiit 8. Dec. anni 1684.

M. Mauritius GIGOT, pater, Parisinus, utriusque Societatis bis Præfectus. Obiit earumdem unitarum Decanus, 15. Feb. anni 1685.

M. Joannes DE LAVERGNE, Aginnas, Ant. Præf. Obiit 5. Aug. anni 1685.

M. Andreas DURAND, Parisinus. Obiit 3. Octob. anni 1685.

M. Petrus CLEMENT, Lingonensis. Obiit 28. Dec. anni. 1685.

M. Jacobus PROU, Cabillonensis. Obiit 21. Martii anni 1686.

M. Armandus DU HALLIER, Pari-

ſinus. Obiit 2. Julii anni 1686.

M. Philippus LEAUTE', Provincianus, Ant. Præf. Caſtelletti olim Chir. Reg. Phlebotomes peritiâ nomen aſſequutus, Noſocomii Charitatis mulieribus dicati Chirurgus electus, viri in omnibus Chirurgicis operationibus ſtrenui famam obtinuit, & in his curatione expertiſſimum ſe præſtitit. Obiit 2. Aug. anni 1686.

M. Petrus TOURBIER, Peronæus, Senatus Chir. Reg. D. Chir. Regis Primarii Legatus, Præpoſitus perpetuus, & Regiorum exercituum primus Conſultor. In Artis ſuæ Theoria & Praxi æquè claruit. Vix alius in Societatis conceſſibus interrogationes ſuas tanto nitore & ordine candidatis propoſuit, & tâm conſultè ſingulorum captui accommodavit. Societatis inſtitutorum acerrimus vindex, ejus ſplendorem à veteri diſciplina ritè ſervatâ pendere ſemper aſſeruit, & ipſius jura ubique tutatus, nullo uſquam nec favoris nec utilitatis impulſu ab iis deceſſit.

Summo Societatis munere tâm lautè intùs exacto, non minùs tanti viri intelligentia, honos, integritas, & publici commodi ſtudium foris nituere. In Regiorum exercituum hoſpitiis primi Conſultoris Chirurgi titulo decoratus, vix credi poteſt quanta alacritate & conſtantia, in Bataviæ, Belgii, & Burgundiæ atrocibus præliis & cruentis obſidionibus, totum Chirurgici laboris imperium ſuſtinuerit,

quibus blanditiis gravissimis cruciatibus oppressos leniverit, quo denique nisu ægrorum crescente numero, non per se modò, verùm & per Chirurgos sibi adjunctos, cunctis indistinctè, & quò celeriùs fieri posset, prodesse studuerit.

Ludovico Magno, Castrorum hospitia invisere non dedignanti, præstantis hominis dignitas mirè placuit, & de sauciatorum statu scis citatus, sensatis responsionibus totam Regis captavit existimationem.

Induciis Europæ datis, non modò urbem, verùm & totam Galliam nominis sui fulgore implevit; & ad interitum usque omnis generis infirmorum saluti consulentem se præbuit. A Sociis deploratus obiit, octogenario major anno 5. Septemb. anni 1686.

M. Michaël MARQUAISE DE LA SALLE, Bencarnus. Obiit 6. Oct. anni 1686.

M. Antonius OLIVIER, filius, Parisinus. Ant. Præf. Obiit 6. Martii anni 1687.

M Gaspardus DE LA BASTIE, apud Viennenses Allobrogum natus Ant. Præf. Castelletti Chir. Reg. vir sensatus, candoris plenus, manu & consiliis inter suos distinctus, vario doctrinæ penu instructus, materiæ Medicinalis & Chymiæ profundè scius. Obiit 6. Martii anni 1687.

M. Gedeon LESCOT, Monstroliensis. Ant. Præf. Obiit 7. Martii anni 1687.

M. Gabriel LE CLERC, Ferrolii suprà Jotrum natus, Ant. Præf. Prætorianarum

Cohortium Gallicarum quondam Chir. Major, in Praxi verſatiſſimus. Obiit 28. April.anni 1687.

M. Leonardus TASSIN, Vandoperæ in Campania natus, partium corporis humani ſubtilis Sector, & in Caſtrorum hoſpitiis eximius Chir. reputatus. Adminiſtrationes Anatomicas & compendioſum de ſclopetorum vulneribus tractatum edidit. Obiit 13. April.anni 1687.

M. Bonus DE BILLY, Pariſinus, Caſtelletti Chirurgus Reg. probitatis plenus, & in Arte celebris. Obiit 5. Jul. anni 1687.

M. Jacobus JUIF, ſuprà memorati nepos, Caſtellonii ſuprà Ingerim natus. Obiit 24. Jul. anni 1687.

M. Joannes HOULLIER, Colomæus, Ant. Præf.inter Togatos diſtinctus. Obiit 10. Sept.anni 1687.

M. Petrus MAZOYER, D. Philippi Franciæ filii Aurel. Ducis quondam Chir.Prim. Obiit 17.Octob.anni 1687.

M. Franciſcus BOUCHET, Pariſinus, mulierum in laborioſis puerperiis intrepidus adjutor, in urbe famâ inſignis, & ad Mariam Thereſiam Auſtriacam Franciæ Reginam in partubus, ſi res ità poſtularet, ſublevandam à Lud.Magno ſemper accitus. Obiit 27.Octob. anni 1687.

M. Juſſanus PATOIS, filius, Pariſinus, Chirurgicæ Theoriæ ſat ſcius, Praxeos verò, cui ſe paternæ tantùm obtemperationis gratiâ repugnanter dediderat, parcus

& infrequens cultor. Cœterùm præclaræ indolis, tractandis negotiis idoneus, & summâ ingenii perspicaciâ præditus. Insulis in Belgio Litterarum Diribitorii Præf. obiit 27. Octob. anni 1687.

M. Joannes CLEMENT, Parisinus, Fabricarum Regiarum Chir. Obiit 20. Decemb. anni 1687.

M. Dionysius L'EVESQUE, Parisinus. Obiit 5. Jan. anni 1688.

M. Joannes GROU, Cesaro-Burgiensis, Anatomicus peritissimus, Regum Ludovici Justi & Lud. Magni per annos plusquam quadraginta Chir. ord. Obiit 21. Feb. anni 1688. ætatis 120.

M. Petrus COUDREAU. Obiit anno 1688.

M. Philippus LE COINTE, Suessionensis. Obiit 30. Feb. anni 1688.

M. Joannes MONIER-MARIN, Brignoliensis, vir hilaritatis & candoris plenus, in absumendis ductus urinarii carunculis præcellens. Obiit 21. Martii anni 1688.

M. Stephanus NAVARRE, pater, Augustodunensis, Chir. Togatus. Obiit 1. April. anni 1688.

M. Josephus DE LALEU, Parisinus. Ant. Præf. Societatis quæsturam gerens. Obiit 27. Martii anni 1689.

M. Stephanus MALET, Montargiensis. Obiit 11. April. anni 1689.

M. Nicolaus RASSICOD, Fertolii suprà

Jotrum natus. Ant. Præf. in Arte eximius. Obiit 1. Aug. anni 1689.

M. Joannes Poupart, Sylvanectensis, Ant. Præf. Obiit 31. Junii anni 1689.

M. Gervasius Jamot, Abrincensis, suâ in Arte peritiâ distinctus. Obiit 1. Aug. anni 1689.

M. Joannes Lambin-Remy, Rhemensis. Obiit 20. Dec. anni 1689.

M. Henricus Binart, Parisinus, vir disertus & humanitate politus, versibus facilè scribens, in Arte sua sensatus & solers. Obiit 25. Septemb. anni 1689.

M. Ludovicus Hamelin, Parisinus, elegantis formæ Chirurgus, morum candore & comitate spectabilis. Nosocomii Charitatis mulieribus dicati Chirurgus electus, multa de se pollicebatur, nisi fuisset præmaturâ morte peremptus. Obiit 6. Feb. anni 1690.

M. Simon Lescot, Parisinus, vir sani judicii & in omnibus exquisiti saporis. Licet in primâ juventute nullam Humanioribus studiis dedisset operam, attamen ità erat à natura Scientiis & bonis Artibus idoneus, ut Physicam Cartesii, & Mechanicam, nemine viam monstrante, perfectè addidiscerit. Dein cultro Anatomico manum admotus, inter rei sectoriæ peritiores Socios primum ocyùs locum obtinuit.

Arteriarum, venarum, & aliorum corporis ductuum distributiones cerâ fusâ aut liquidis coloratis in eorum canalibus clys-

tere immissis, oculis adstantium subjecit primus, primus organa siccata publicè monstravit, eorum structuram & usus dilucidè explanavit, & solido experimentorum fulcro stabilivit.

Corporis humani notitiâ abundè munitus, operationes Chirurgicas ancipitis eventus metu ab aliis intentatas suscepit pluriès, & feliciter explevit.

Nominis sui fama undique volitans Genevensium Rempublicam peritis Chirurgis tunc destitutam duxit, ut suo in Galliam Delegato virum hunc, sua in Arte præstantissimum, in sui magni Xenodochii Chirurgum advocaret, ingenti proposita mercede.

Huic addictus muneri, dudùm ipsius salubri potita fuisset ministerio Respublica, nisi Geneva ferè tota ignitis Gallorum glandibus accensa infinitam vulneratorum copiam Chirurgo suppeditasset, quorum numero obrutus, & bonorum Ministrorum auxilio privatus, solus tanti laboris ærumnas ferre non potuit; & quamvis ætate adhuc florente polleret, efferati morbi violentiâ perculsus, tàm diro incendio non diù superstes, obiit 7. Septemb. anni 1690.

M. Paulus EMMEREZ, pater, San-Quintinianus, Ant. Præf. vir fuit miræ in Arte sua sagacitatis & industriæ. Studiis minùs quàm nativâ eloquii facilitate, in demonstrationibus Anatomicis & Chirurgicis, tàm

in Medicorum ſcholis, quàm in Chirurgorum ædibus, cum univerſo ſtudioſorum plauſu ſucceſſivè peractis, ingentem nominis ſui famam ubique ſparſerat. Facta indè cum Celeberrimo Pecquetio transfuſione ſanguinis felici primùm eventu, grande nomen in tota Europa decuſque geſſerat. Demùm operibus Artis ſuæ magis arduis continuò addictus, inter Chirurgiæ Gallicæ Proceres omnium aſſenſu collocatus, obiit 7. Sept. anni 1690.

M. Nicolaus Huot, Pariſinus. Obiit 9. Sept. anni 1690.

M. Remigius l'asnier, Ant. Togatorum Præf. vir auguſtâ corporis formâ, & oris dignitate ſpectabilis, in quo Ars & Opifex mutuam ſibi operam præſtitere, nam ſicut ab Arte multùm fuit honoratus, tanquam Lithotomus & Medicus Ocularius præcellens; ita ipſe Artem ſemper cohoneſtavit, nec ullo uſquam rei augendæ deſiderio concitatus, colubrinis & humilioribus Artis veteratoriæ blanditiis in ægrorum gratiam irrepſit, quod magnum eſt quo credulis imponant levioris armaturæ Chirurgorum ſubſidium, calculis è veſica eximendis primò ſe addixerat, oculorum poſteà morbis curandis unicè incumbens, opinionem cataractæ non ut vulgò creditur, à pellicula corneam inter & criſtallinum formatâ genitæ, ſed ipſiusmet criſtallini alteratione productæ, noviſſimis & quibus obloqui vanum eſt, naris

emunctioris Medicorum & Anatomicorum experimentis firmatam primus sustinuit. Honoris & meriti plenus obiit, 50. Maii anni 1690.

M. Dominicus DE CHEVERY, Baionensis, Ant. Præf. Scholastices peritus, candidatos plures ad magisterium duxerat. Obiit 29. Novemb. anni 1690.

M. Guillelmus PRESIDI, Meduntanus, duorum postremorum Guisiæ Ducum Chirurgus Commensalis, quem Maria à Lotharingia Damicella Guisiæ dicta, illustris hujus styrpis Princeps ultima, suo etiam ministerio astrixerat. Obiit 13. Octob. anni 1691.

M. Renatus CORBEAU, Turonensis, in herniis fasciatione tractandis expertissimus. Obiit 19. Octob. anni 1691.

M. Ludovicus BAUGNON, Virdunensis, Chir. Togatus. Obiit 8. Nov. anni 1691.

M. Gabriel DELON, Lemovicus, Ant. Præf. Obiit 21. Dec. anni 1691.

Hoc anno M. M. Chirurgorum Parisiensium Ordo Regius, novi Amphiteatri Anatomici amplitudine, commoditate, & structuræ splendore pristino longè præstantioris, constructionem suscepit propriis sumptibus conficiendam, cujus primum posuit lapidem 2. Aug. anni 1691. Opus integrum perfectum fuit, anno 1694.

Super januam hujus ædificii incisum fuit marmori nigro aureis litteris sequens disticon, datum à D. Santolio Victori-

no, huic monumento apprimè congruum.

Ad cædes hominum prisca Amphiteatra patebant,
Vt discant longum vivere nostra patent.

Sic Gallicè traductum fuit à D. Abbate Bosquillon.

Si dans les Siécles idolâtres,
Ces superbes Amphiteatres,

Où l'on admire encor la grandeur des Romains,
S'ouvroient pour avancer le trépas des humains;
Cette aveugle fureur ne se voit plus suivie:
Les nôtres sont ouverts pour conserver la vie.

M. Joannes Joly, pater, Burdegalensis, strenuus Cartesii sectator, à M. Petro Cresse suprà memorato practico celeberrimo ad Chirurgiam educatus, in qua solertem æquè ac prudentem se præstitit. Obiit 6. Jan. anni 1692.

M. Cristophorus Mopinot, Rhemensis. Obiit 24. Junii anni 1692.

M. Ludovicus Mignot, Parisinus, Regiorum in Catalania exercituum quondam Chir. Major. Obiit 25. Oct. anni 1692.

M. Philippus Hellot, Rothomagensis, præcedentis nepos, Castelletti Chir. Regius. Obiit 8. Junii anni 1692.

M. Antonius BOUCHER, Mondideriensis. Obiit 3. Nov. anni *1693.*

M. Joannes PONTIER, Avenionensis, D. Francisci Felix de Tassy Cons. & Chir. Reg. Prim. suprà memorati nepos, Regiorum primùm in German. Exercituum, Navalium deinde Classium in Tolonii partitione Chir. Major. In maritimis præliis diversis Oceani & Maris Mediterranei plagis, adversùs Othomannos, Africanos, Hispanos, Anglos, & Batavos initis, suâ in tractandis vulneratis velocitate & industriâ, apud Duces & Nauticos Præfectos grande nomen sibi condidit, ac præsertim in Capitis-Hogæ certamine firmitatem monstravit, non priùs derelicta Navi Principe Solis Regii nomine insignitâ, quàm ex majori sui parte flammis diruta fuisset. Obiit Tolonii, 20. Jan. anni *1694.*

M. Tussanus PATOIS, pater, Provincianus. Obiit 3. Feb. anni *1694.*

M. Joannes MOUZON, Lotharingus. Obiit 5. Feb. anni *1694.*

M. Gaspardus SAUTEL, Parisinus, Castelletti Chir. Regius. Obiit 2. Martii anni *1694.*

M. Simon BROCHANT, Dammartinensis, in fasciis aptandis solertissimus. Obiit 9. Martii anni *1694.*

M. Petrus MATTOT, Vivariensis, Ant. Togatorum Præfectus, expertæ in tractanda lue peritiæ. Obiit 10. Martii anni *1694.*

M. Joannes MICHAULT, Villæ-novæ in Bria natus, Hyppocratis doctrinæ, cui attentè studuerat, tenax assertor, & Mechanices peritus. Trochleam à veteribus in ossium luxationibus usurpatam, perfectiorem reddidit, & ad ossa tibiarum, brachiorum, coxarum, in sua sede reponenda efficaciorem & commodiorem.

Librum præthereà edidit de Hyppocratis doctrina adversùs Galenistas sua sententia Pseudo-Medicos, intricato ac festivo M. Francisci Rabelesii stilo scriptum, quem florum Hyppocratis, aut Tonsoris Medici titulo donavit. Posthàc dissertationem Chirurgicam eâdem planè ratione fartam typis mandavit. In lue curanda, & in tractandis morbis à Sociis ut plurimùm repudiatis, famam sibi comparavit. Obiit 3. Maii anni 1694.

M. Simon LE BRETON, Parisinus, Ant. Præf. Obiit 25. April. anni 1694.

M. PETRUS MORIN, Diensis. Obiit 7. Maii anni 1694.

M. Henricus Emanuel MEURISSE, San-Quintinianus, hujus Indicis Funerei primus restaurator, omnibus animi corporisque dotibus Chirurgo necessariis à natura validè instructus, edito non procul à sua in Societatem cooperatione de venæ sectione tractatu eleganter scripto, eruditionis jam sibi comparatæ ac nitoris argumenta dedit.

Mox ingenuarum Artium amore fla-

grans, Regiam suam Societatem valde illustravit, ejusque dignitati tuendæ totum se adjunxit. Novi Amphiteatri constructionem totis viribus promovit, interiora ejus ornamenta ordinavit, & de eo Iconem ingeniosè decoratam æri incidi, nummulosque argutis ac honorificis in Societatem sententiis onustos cudi curavit; longè plura facturus, nisi hunc mors inexorabilis ante diem abstulisset, 17. Maii anni 1694.

M. Guillelmus AUGUY, apud Segodunenses Ruthenensium natus, Ant. Præf. Castelletti quondam Chir. Regius, scholastices peritus, suâ in venarum sectione solertiâ distinctus, & in scholis publicis Anatomes & Chirurgiæ Demonstratoris munere persæpè functus. Obiit 4. Junii anni 1694.

M. Joannes NAUDIN, Mussipontanus, Regiorum exercituum in Belgio & Germania Chirurgus Major, in omnibus Artis operationibus benè versatus. Obiit Valencenis *6*. Aug. anni 1*6*94.

M. Ludovicus RAVINET, Trecensis. Obiit 5. Sept. anni 1*6*94.

M. Jacobus DOYE, Meldensis, Ant. Præf. Obiit 23. Feb. anni 1*6*95.

M. Laurentius VERDUC, pater, Tolosanus, vir candoris & charitatis plenus. Permultos annos in erudiendis discipulis posuerat, in quorum gratiam tractatus de Chirurgiæ principiis, de ossium historia,

morbis, & fasciatione ediderat. Obiit 28. Julii anni 1695.

M. Joannes Devaux, pater, Parisinus, solida pietate, morum candore, comitate & modestiâ conspicuus. Omnibus Societatis honoribus minùs uti voluit, quàm dignus videri. Nullus venarum sectionem diutiùs peregit ac solertiùs; nullus majori rerum incuriâ divitibus æquè ac egenis operam contulit. A fortunatis mercedem oblatam non recusans, egenis ex arte & ex ære succurrens, ab ingratis nihil efflagitans, cunctis semper acceptus fuit.

Nihil usquàm de se arroganter fatus, nusquàm alios molestis sermonibus anxios fecit. Imò graviori culpâ notatos pro virili inculpatos venditavit. In prosperis minimè exultans, in adversis patiens & longanimis, de nihilo sibi conscius, ad se non spectantium incuriosus, suis operibus unicè attentus, vitam semper egit æqualem.

Arte sua quâ plurimùm delectabatur, ad annum usque octogesimum quintum, magnâ nominis sui commendatione exactâ, à probis & sanctis desideratus, ab egenis defletus; mortuus est Societatis Decanus, plenus dierum in senectute bonâ 25. Sept. anni 1695.

M. Claudius Chaboud, Gratianopolites. Obiit juvenis 28. Sept. anni 1695.

M. Alexander Bolotte, Divionensis, sapientiâ, integritate, & suâ in arte peritiâ commendabilis. Obiit 5. Nov. anni 1695.

M. Joannes BOTHENTUIT, Episcopontanus, Ant. Domus-Dei Chir. Obiit 5. Nov. anni 1695.

M. Joannes DEVAUX, Ambianus, Ant. Præf. Castelletti quondam Chir. Reg. Obiit 1. Jun. anni 1696.

M. Simon LE FILASTRE, Valoniensis, Chir. Togatus. Ant. Præf. Kebeci & apud Hurones novæ Franciæ populos juvenis per plures annos Chirurgiam exercuerat. In Europa redux, ab eo tempore quo Lauream Magistralem in veteri Chirurgorum Collegio fuerat adeptus, pauperibus infirmis Luzarchiam datis diebus bis in anno undequàque confluentibus, cum aliis Sociis delegatus auxiliari non desiit. Illis præcептiones suas, remedia morbis congrua, ac præsertim fascias herniis retinendis aptas gratis impertiendo, & operationes permultas quoad fieri posset statim peragendo; ità ut beneficus ille vir ab hujusce regionis incolis tanquàm Apostolus transiens benefaciendo & sanando conspiceretur. Obiit 6. April. anni 1697.

M. Claudius BONHOMME, pater, Parisinus, Chir. Togatus, in lue tractanda peritissimus. Obiit 6. April. anni 1697.

M. Stephanus Simon, Joinvillæus, Ant. Præf. solertia, comitate, & ingenii acumine singulis acceptus, ac suâ præsertim ergà Societatem beneficentiâ commendandus; cui duas tabulas in Aula communi collocandas legavit; quarum una junioris Da-

vidis capiti Goliath innixi, altera Divi Michaëlis Archangeli Zabulon conterentis effigiem exprimit. Postquàm in lue peculiari methodo tractandâ famam obtinuisset, Chronico morbo probatus, obiit 1. Junii anni 1697.

M. Egidius HOULLIER, Durdanensis, Ant. Domus-Dei Chir. Obiit 10. Jun. anni 1697.

M. Scipio ABEILLE, Regiensis, factus Chirurgus, Poëta natus. Tyronum institutioni primò se dediderat, & in eorum gratiam compendiosam de ossibus scripserat historiam, & versibus ornaverat, viri clarissimi D. Abbatis Abeille fratris sui Academiæ Gallicæ Socii & D. Luxemburgensium Duci à secretis in sua Poësi non indignus. M. Scipio Abeille de quo hic agitur, duabus in Germania expeditionibus sub legionis Picardæ Chirurgi majoris titulo exactis, Lutetiæ redux, obiit 9. Dec. anni 1697.

M. Jacobus LAMY, Cadomensis, Ant. Togatorum Præf. Obiit 20. Martii anni 1698.

M. Carolus LIGNERES, Parisinus, Societati vix adscriptus, obiit 29. Martii anni 1698.

M. Antonius HUGER, Fimæ in Campania natus. Obiit 3. April. anni 1698.

M. Josephus DUCOS, Condomensis, Ant. Præf. Rei Tormentariæ in Italia quondam Chir. major. Obiit 9. April. anni 1699.

Tunc temporis articulum septimum pactus unionis utriusque Societatis, Togatorum nempè & Barbitonsorum Chirurgorum, per annos 44 neglectum & irritum, suum tandem obtinuit finem, curis & sollicitudine D. Caroli Francisci Felix Consil. & Chir. Regis Prim. supremi totius Regni Chirurgiæ arbitri. Recollectis ex utriusque Societatis veteribus regulis nova quædam capita harum Societatum unitarum usui accommodata, quorum observatio decreto summi Regis Consilii singulis Societati adscriptis & adscribendis imperata fuit. Hoc decretum datum fuit 2. Aug. anni *1699*.

Insuper nova hæc statutorum constitutio cooptationi Chirurgorum commensalium familiæ Regiæ in Societatem Chirurgorum Parisiensium occasionem præbuit, itá ut Chirurgorum deinceps, tam Aulicorum quam Urbanorum, una sit & eadem Societas.

M. Tussanus L'EVESQUE, Suessionensis, vir probus & in Arte peritus. Cum per annos benè multos ingratæ rerum venalium fori plebeculæ sublevandæ operam dedisset assiduam, rerum omnium egenus, laborum mercedem in cœlis accepturus, obiit 21. April. anni 1700.

M. Alexander TREMOT DE PONT-ROLLAND, Parisinus. Obiit juvenis, 29. Junii anni 1700.

M. Claudius DAVID, filius, Parisinus,

Ant. Præf. D. Mariæ Therefiæ Auftriacæ Francorum Reginæ Lud. Magni conjugis Auguftæ fuerat olìm Chir. Prim. Scholaftices peritus, & antequàm inter Aulæ Chirurgos fuiffet cooptatus, in venarum fectione celebranda Lutetiæ famâ infignis. Obiit 11. Maii anni 1700.

M. Antonius HENRIQUES, Rothomagenfis. Obiit 11. Octob. anni 1700.

M. Sebaftianus CANTO, Parifinus, Ant. Præf. vir difertus, bonis imbutus litteris, ac recto & perfpicaci ingenio præditus. Obiit 5. Nov. anni 1700.

M. Stephanus DUVIEU, filius, Parifinus, Ant. Præf. Obiit 6. Nov. anni 1700.

M. Guillelmus GOUVERIE, Abrincenfis, in Italicis Caftris Legionis Burgundiæ Chirurgi majoris decem ftipendia meritus, in Gallia redux, obiit 13. Novemb. anni 1701.

M. Hieronimus LE FEVRE, Parifinus. Obiit 12. Jan. anni 1701.

M. Joannes LE VASSEUR, Parifinus. Obiit 13. Jan. anni 1701.

M. Claudius VIART, Burgundus. Obiit 20. Martii anni 1701.

M. Joannes PIOCHON DE LAUNAY, Divionenfis, quædam de herniis & earum fafciatione fcripferat. Obiit 6. Jun. anni 1701.

M. Francifcus LE ROUX, Parifinus, Magni Nofocomii Fratrum Charitatis olìm Chir. Obiit 30. Aug. anni 1701.

M. Carolus GONIN, pater, Parisinus, Societatis Decanus. Obiit 13. Novemb. anni 1701.

M. Antonius Franciscus EMMEREZ, filius, Parisinus, exactâ Societatis Præfecturâ Quæsturam gerens, obiit 27. Decemb. anni 1701.

M. Joannes Baptista PERDUCAT, filius, Ant. Præf. Obiit 18. Feb. anni 1702.

M. Thomas PARIS, Ebroïcensis, Ant. Præf. vir erat probæ indolis, nativâ facundiâ donatus. Antequam in Collegio Togatorum fuisset admissus, in alma Rhemensium Universitate Lauream Medicinæ Doctoralem obtinuerat, & postquàm operationibus Chirurgicis & sectionibus Anatomicis privatim & publicè Parisiis per annos plusquàm triginta cum laude incubuisset, terræ natalitiæ desiderio captus, Ebroïci redux, Medici Regii titulo decoratus, obiit 5. Aug. anni 1702.

M. Bartholomæus SAVIARD, Senonensis, post assiduam 17. annorum in Domo Dei Chirurgiæ exercitationem Magisterium adeptus, tantam sibi comparaverat Lithotomes celebrandæ peritiam, ut non mirum quod hanc arduam sectionem posthinc in urbe feliciter & constanti plausu peregerit. Amplam demùm & luculentam observationum Chirurgicarum collectionem paulò ante occubitum edidit. Obiit 15. Aug. anni 1702.

M. Alexander PASSERAT, Parisinus, Ant.

Præf. animi corporiſque dotibus perfecto Chirurgo congruis æquè præcellens, veteris ac integrioris Societatis diſciplinæ zelator indefeſſus, variâ eruditione commendabilis; in dicendo non minùs quàm ſcribendo purus, caſtigatus, & politus; linguam Græcam, Latinam, Italicam, æquè calluit ac vernaculam, cujus amœnitates, elegantias ac lepores adeò noverat, ut publicè loquens cum univerſo adſtantium plauſu ſemper auditus fuerit.

In Phyſicis præterea verſatus, Anatomes peritus, in Chirurgica praxi experti ſſimus, tantâ apud ſuos exiſtimatione floruit, ut pro ſolemni novi Amphiteatri inſtauratione unanimi aſſenſu tanquam dignior inter Socios fuerit electus. Verbo, de tàm eximio viro dici poteſt, quod ſicut inter Galliæ Chirurgos, præterita ſæcula illi vix ullum habuere comparandum, itá & poſtera vix parem ſint inventura. Obiit, in memoriâ Sociorum ſemper victurus 25. Sept. anni 1702.

M. Antonius ALLET, Picardus, Lithotomes peritus, in Inſanabilium Noſocomio Magiſterium adeptus, fortunæ deſpector, & ardenti charitatis impulſu motus, tractandis in eodem Hoſpitio pauperibus ægris mortem ad uſque totum ſe devovit. Obiit 25. Sept. anni 1702.

M. Georgius BOUCLIER, Lugdunenſis. Obiit 2. Octob. anni 1702.

M. Remigius ROGER, in Campania na-

tus, Sereniss. Principis Contejæ Dotariæ Chir. necnon Magni Nosocomii Fratrum Charitatis præcipuus Magister; vir erat sapientissimus, quarumlibet in se virtutum aggregatione conspicuus, & singularis in Arte peritiæ. Obiit 20. Novemb. anni 1702.

M. Jacobus DE ROY, Saverduni Occitanorum natus, Cartesianæ Physices principiis legitimæ Chirurgiæ theoremata sociaverat. Postquam per plures annos in Belgii & Germaniæ exercitibus D. Marchioni Uxellio Franciæ nunc Polemarcho sub Chir. Commensalis titulo addictus fuisset, Lutetiæ redux, obiit 20. Novemb. anni 1702.

M. Joannes Baptista BOILLEAU, Senonensis. Obiit 7. Decemb. anni 1702.

M. Bertrandus LARTET, Parisinus, Chir. Regius Trimestris, Chirurgi Majoris in Regiis exercitibus per plures annos munus impleverat. Obiit 20. Decemb. anni 1702.

M. Laurentius VERDUC, filius, Parisinus. Arcanorum naturæ inquisitioni, non minùs quàm Chirurgicæ Theoriæ studio in prima juventute addictus præ sua singulari doctrinâ Chirurgorum Societati apprimè notâ, gratis Magisterio donatus fuerat, & erudiendis posteà tyronibus totum se dediderat. Libro perutili de usu partium corporis humani, quem frater suus Medicinæ Doctor mancum reliquerat, extremâ

manu adhibitâ, ætate florente obiit 6. Feb. anni 1703.

M. Franciſcus DE LA SALLE, in Vico Vaſconiæ Doyſit vulgò dicto natus, D. Ducis Aurel. Chir. Trimeſtris. Obiit 20. Apr. anni 1703.

Vir Nobiliſſimus ac perilluſtris D. Carolus Franciſcus FELIX, filius, Pariſinus, Ant. Præf. Lud. Magni Concil. & Chir. Prim. totius Regni Chirurgiæ Arbiter. Non tàm illuſtriſſimi parentis ope, quàm ſuis ſtudiis, aſſiduâ in urbis & Caſtrorum Hoſpitiis exercitatione, ac Religioſâ & integrâ Chirurgorum in ædibus ſoliti ſpeciminis ineunte juventâ probatione, ad ſupremum Chirurgicæ Artis apicem evectus, ſuâ in muniis obeundis ſedulitate, ſingulari prudentiâ, & morum comitate inter Aulicos illicò claruit, manumque in Domo Regia Magnatibus & infimis commenſalibus qualibet occaſione data, alacriter commodans, cunctis æquè acceptus fuit.

Principi ſuo poſthàc fatali ex equo lapſu os cubiti luxatum reſtituit, diri dehinc mali inſultu non leviter periclitantem, amori populorum, & totius Galliæ votis auxiliatrice manu reddidit; pervicaci demùm & acerbo Antrace graviter ægrotantem, viâ certâ & ratione tractatâ curatione, ſanum effecit.

Officiis adeò inſignibus tanti Regis favorem & intimam fidem ſibi demeritus, collatis in ſe Regiâ munificentiâ beneficiis

rem auxit, familiam illustravit. Chirurgorum Societati, quam suo semper præsidio texerat, sæpè sæpiùs suâ quâ pollebat apud Regem & Regni Administros gratiâ, remissionem obtinuit. Tandem in explendo summi Regiæ Domus Inspectoris munere, ipsiusmet nati, si res ità postularet, successor designatus, minùs annorum, quàm bonæ famæ & meritorum plenus, diem clausit extremam, 25. Maii anni 1703.

M. Paulus PORTAL, Monspelliensis, in Domo-Dei Magisterium adeptus, totum se mulierum parturientium levamini dedidit, & in hac praxi celebris effectus, observationum de ea rectè peragendâ collectionem scripsit apprimè utilem. Obiit 1. Julii anni 1703.

M. Claudius MOREL, Parisinus, Ant. Præf. D. Margaritæ à Lotharingia D. Gastonis Franciæ Filii Aurel. Ducis conjugis secundò nuptæ olim Chir. Prim. Post hujus Principis interitum Chirurgorum Magni Xenodochii Fratrum Charitatis præcipuus Magister constitutus, Lithotomiæ & operibus Artis suæ magis arduis, non in Xenodochio solùm, sed & in urbe passim incumbens, inter ævi sui præstantiores Chirurgos magnum nomen sibi condidit, & in Domo-Dei candidatis ad Lithotomiam erudiendis ad senium usque se adjunxit.

Demonstrationibus prætereà Anatomicis & Chirurgicis publicis in scholis, disertè & cum universo plausu peractis, viri

verbis & manu æquè potentis apud suos & apud extraneos famam obtinuit non perituram. Ipse tamen obiit plusquàm septuagenarius, 3. Decemb. anni 1703.

M. Franciscus CARRERE, pater, in Auscitana Diœcesi natus, D. Henricæ Angliæ primùm, deindè D. Elisabethæ Bavariæ Palatinæ, D. Philippi Franciæ filii Aurel. Ducis successivè conjugum Chir. Prim. Obiit 20. Apr. anni 1704.

M. Renatus COEFFART, rei Tormentariæ Chir. Cùm in Britanniam se recepisset, in urbe Rhedonensi obiit, 5. Decemb. anni 1704.

M. Alexander Michaël GARMONT, Parisinus, Societatis Præfecturam gerens obiit, 5. Decemb. anni 1704.

M. Franciscus AUBERT, pater, in vico Provinciæ Carces vulgò dicto natus, Ant. Præf. rei Tormentariæ quondam Chir. Major. Obiit 2. Maii anni 1705.

M. Guillelmus DE ST. GERMAIN, in Lumbariæ Diœcesi Vasconiæ natus. Obiit 15. Jul. anni 1705.

M. Jacobus GONIN, filius, Parisinus. Obiit 27. Jan. anni 1706.

M. Petrus MONCADE, in Benearnia natus, D. Ducissæ Aurel. Chir. ordin. Obiit 6. Feb. anni 1705.

M. Petrus MARTIN, Narbonensis, Ant. Præf. Obiit 5. Maii anni 1705.

M. Joannes DE LA LANDE, Lemovicus, D. Ducis Aur. Chir. ord. Obiit 6. Jun. anni 1705.

M. Fran-

M. Franciscus DOHY, Picardus, Ant. Præf. Obiit ætatis 89. 12. Julii anni 1705.

M. Claudius ROBILLART, Parisinus, Regiorum exercituum in Italia Chir. Major. Suum munus adimplens obiit, 6. Sept. anni 1706.

M. Joannes MOUFLE, Magniaci in Vexino Gallico natus. Obiit 8. Sept. anni 1706.

M. Joannes LE GAY, Pictaviensis. Obiit 20. Sept. anni 1706.

M. Urbanus PLANCHET. Obiit 3. Oct. anni 1706.

M. Guillelmus PIGNOL, Brignoliensis, Ant. Præf. Obiit 18. Jan. anni 1707.

M. Philippus PEU, Parisinus, Ant. Præf. post exactam in Domo - Dei Chirurgiæ diurnam exercitationem, totum se mulieribus in puerperio sublevandis dediderat, & de partuum praxi docto & eleganti scripto volumine, & difficilioribus partubus ut plurimùm feliciter absolutis, inter superioris ordinis obstricantes Chirurgos jure censeri meruit. Obiit 10. Feb. anni 1707.

Ædes Antiquæ Chirurgorum novo Amphiteatro parallelæ, identidem restitutæ, temporum attamen inclementiâ labantes & ruinosæ, nec non Commensalium familiæ Regiæ Chirurgorum unione, Magistrorum aucto numero capiendo impares, à fundamentis erectæ fuerunt; & novi ædi-

ficii, moles priſtina amplior & ſplendidior, Societatis ſumptibus inchoata fuit anno Domini 1707. Subſequenti 1708. ad faſtigium evecta. Tandem anno 1710. extremam manum obtinuit.

Super novæ hujus molis oſtium, inciſum fuit nigro marmori caracteribus aureis ſequens diſticon, datum à D. le Comte emerito Humanitatis in Mazarineo Profeſſore. Fuit à D. Abbate Boſquillon Gallicè traductum, ut videre eſt inferiùs.

Hîc probat ingenium doctrina, prudentia dextram,
Ut certa in cives, prodeat inde ſalus.

Gallicè ſic ſonat.

Icy le vrai ſçavoir, la longue experience,
Eprouve tour à tour & l'eſprit & la main;
Afin que dans ſes maux ton peuple, heureuſe France,
Puiſſe compter ſur un ſecours certain.

M. Franciſcus FILLON, ad pauperes infirmos de lue tractandos in Hoſpitio præpoſitus Chirurgus. Obiit 22. Martii anni 1707.

M. Renatus le RAT, Salmurienſis, D. Principis Condæi Chir. Obiit 1. April. anni 1707.

M. Ludovicus DU BOIS, pater, Pariſinus, D. Ducis Aurel. Chir. Trimeſtris. Obiit 14. Junii anni 1707.

M. Petrus PRUDHOMME, Capruzii in Insula Franciæ natus, Societatis Præfecturam gerens obiit 14. April. anni 1708.

M. Jacobus PETIT, in vico ad primum ultrà fanum *San*-Dionysiacum lapidem sito, Pierrefite vulgò dicto natus, Nosocomii Parisiensis Chirurgorum præcipuus Magister. A Chirurgiæ tyrocinio 13. ætatis anno in Domo-Dei incepto, ad annum usque nonagesimum septimum pauperum infirmorum hujus Valetudinarii ministerio addictus, mirum indefessa tàm improbi laboris pertinacia, quantam in tractandis vulneratis correctionem & elegantiam, quantam in operando facilitatem & solertiam sibi comparaverit, vir ille de suâ constantiâ nusquam satis laudandus.

A Magnatibus præ sua singulari peritiâ urbi totæ notâ, vehementer exoptatus, illis opem ut plurimùm denegare maluit, quàm pauperibus deficere, quibus re vera quandiù stare potuit non desiit inservire; & sic fugacis contemptór fortunæ, & ventosæ gloriæ incuriosus, immensas divitias & immortale decus in supernâ mansione colligere meruit, 22. Aug. anni 1708.

M. Remigius DE MAILLY, Rhemensis. Obiit 20. Oct. anni 1708.

M, Georgius CONNIL, in Urgonio Provinciæ vico natus, Regii olim Stabuli Chirurgus. Obiit 18. Novemb. anni 1708.

M. Franciscus JUILLET, in vico Campaniæ Imecourt dicto natus. Anatomes &

operandi peritiâ publicis in ſcholis primò claruit. In provectiore ætate Sereniſſ. Lud. Borbon. Condæo Regiæ ſtirpis Proto-Principi in duabus poſtremis expeditionibus aſſiduam dedit operam. Tandem in curanda ſyphilide, & tractandis ductus urinarii affectibus periti admodùm Chirurgi famam adeptus, obiit 27. Decemb. anni 1708.

M. Joannes D'AYMA, Petracorienſis. Obiit 8. Jan. anni 1709.

M. Franciſcus SANSON-GOBRON, Peronæus. Obiit 10. April. anni 1709.

M. Carolus BOURSY, Claromontii Bellovacenſium natus. Obiit 13. April. anni 1709.

M. Franciſcus MAURICEAU, Pariſinus, Ant. Præf. vir ſpectatæ probitatis & prudentiæ, humanioribus diſciplinis imbutus, cum Theoriæ & Praxi Chirurgicæ per plures annos incubuiſſet, operationibus quæ ad puerperia ſpectant totum ſe devovere ſtudens, in Noſocomio Pariſienſi ſatis ſuperque exercitatus, hanc Artis ſuæ partem quam inter privatos Xenodochii parietes ſuſceperat primùm, dein cum laude palam excoluit.

Temporis tractu ad ſupremum perfectionis faſtigium in hac parte evectus, quod in ea commentus fuerat aliis impertire volens, luculentum librum de mulierum puerperarum & parturientium morbis quoties edidit toties auxit, ac tandem in La-

tinam linguam ipse transtulit, extraneis in suam vernaculam transmittendi, uti ab Anglis, Belgis, Batavis, Germanis, Italis, sanioris doctrinæ in tàm exquisito volumine diffusæ avidis, ocyùs factum est, copiam daturus.

Observationes posteà de iisdem morbis varietate, numero, raritate, practicis apprimè utiles typis mandavit, quibus suas prænotiones longo usu stabilitas, & ad Aphoristicorum dogmatum leges accomodatas adjunxit.

Demùm tàm diurnæ in Praxi sedulitatis, quàm privatorum studiorum labore confectus, annorum insuper, opum, & nominis plenus, solo progeniei orbatus solatio, cum in rure sub urbano otiosum sibi secessum elegisset, ibique per annos vitæ novissimos de re salutis unicè cogitans, piè & religiosè degisset, Chronici morbi probatione cœlo maturus, vivendi finem fecit, 17. Oct. anni 1709.

M. Georgius Ratel, Bellovacus. D. Aurel. Ducis Chir. Trimestris. Obiit 5. Dec. anni 1709.

M. Petrus Serres, filius, Parisinus. Obiit 20. Dec. anni 1709.

M. Ludovicus Bodot de la Chapelle, Burgundus. Obiit 5. Julii anni 1710.

M. Josephus Turodin, Aletensis, gravioris & levioris armaturæ Equitum Excubiæ Regiæ Chir. major. Præ sua singulari in Arte peritiâ, magnâ semper in Regiis

exercitibus existimatione floruit; morum verò candore, officiosâ sedulitate, ac propriæ præsertim utilitatis incuriâ, summam apud Magnates obtinuit gratiam.

Bellicis itaque expeditionibus per annos benè multos cum universo copiarum plausu exactis, tandem in hibernis anni 1709. maligna ac pertinaci febre correptus fuit; & eâ per totam subsequentis veris tempestatem diversimodè vexatus, cum ineunte æstate, Bethuniâ à fœderatis obsessâ, solita munia obeundi impatiens, exercitum adire vellet, fatigatione itineris ingravescente febre, Calniacum prætergredi non potuit.

Tunc de ipsius statu Illustrissimus Cameracensium Præsul Fenelonius, qui jamdiù in eum sincera voluntate perpendebat, à D. Vice Domino Ambianensi admonitus, ardentioribus litteris amplo commeatu munitis, ægrum cui sub propriis oculis succurrendi mens erat Cameracum advocavit.

Tàm honorificæ invitationi obtemperans Turodinus æger, à piissimo Præsule in Archiepiscopali Palatio peramicè exceptus fuit; & pro ipsius salute nihil non moliti, tàm Illustrissimus Antistes, quàm Clarissimus Sorassius Italus Medicinæ Doctor, è Lutetia Cameracum ægri tractationi à Vice Domino Ambianensi expressè accitus, morbo quotidie in pejus ruente, & omnium auxiliorum vim eludente, æger inter amicissimi Præsulis complexus, animam confidenter ac religiosè fudit.

Amico etiam extincto non deficiens Præsul, nusquàm satis laudandus, illum in sua Metropolitana gratuitò ac perhonorificè sepeliri voluit; & ipsâmet excessus die ad ipsius viduam consolatorias litteras propriâ manu scripsit. Obiit Turodinus 8. Julii anni 1710. Quotquot in urbe tunc erant Duces & Præfecti exequias cohonestavere.

M. Alexius LE MOYNE DE CHANTERESNE, Compendiensis, Domini Ducis Aurel. Chir. Trimestris. Obiit 13. Sept. anni 1710.

M. Ludovicus BAGET, in vico Plieuxe dictò Diœcesis Lumbariæ natus, D. Ducis Aurel. Chir. Trimestris. Obiit 6. Oct. anni 1710.

M. Carolus DARON, Parisinus. Obiit 9. Mart. anni 1711.

M. Andreas MARCEL, Aquisextanus, Regii Stabuli Chir. veteranus, in partuum praxi expertissimus. Obiit 10. Martii anni 1711.

M. Antonius BONNAMY, Cadomensis, Ant. Præf. mulierum parturientium adjutor famâ celebris. Obiit 13. Martii anni 1711.

M. Franciscus REGNIER, Turonensis, Prætorianarum Cohortium Gallicarum excubiæ Regiæ Chir. major. Obiit 31. Martii anni 1711.

M. Joannes L'ESTORCEL, Parisinus, Ant. Præf. Societatis Decanus. Obiit ætatis 89. 10. Apr. anni 1711.

M. Jacobus CHARDIN, in vico Neustriæ Joüy en Theyne dicto natus, Ant. Præf. Castelletti Chir. Reg. Obiit 31. Maii anni 1711.

M. Petrus CANAL DE LA CASSAGNE, in vico Fals dicto Diœcesis Condomensis natus, Rei Tormentariæ quondam Chir. Major. Obiit 15. Jul. anni 1711.

M. Jacobus CLERAMBOUR, Parisinus, Ant. Præf. Castelletti olim Chir. Reg. Obiit 17. Febr. anni 1712.

M. Guillelmus DOUBLET, pater, Parisinus, Rei Torment. Chir. veteranus. Obiit 21. April. anni 1712.

M. Petrus Serres, pater, in vico la Bastide propè Albiam in Occitania natus. Obiit 14. Maii anni 1712.

M. Joannes Baptista DE LAGÜE, in vico Vasconiæ Douazit vulgò dicto natus, per plures annos in Regiis exercitibus sub legionis Picardiæ Chirurgi majoris titulo stipendia meritus, à D. Anna Maria Lud. Aurel. Monpenseria Dumbarum Principe in Chir. Primarium fuerat adoptatus. Obiit Bellovaci 31. Martii anni 1712.

M. Jacobus BEISSIER, in vico Delphinatus sancti Andreæ de Rosans vulgò dicto natus, Senatus Chir Reg. Castrorum & exercituum Regiorum Chirurgus major & primus Consultor Regio diplomate constitutus. Præcellenti ad Chirurgiam genio à natura instructus, sub M. Martino d'Alencé, in Chirurgiæ militari versatissi-

mo, Artis suæ rudimenta posuerat, dein Bassiæ Chirurgus major factus, solertis admodùm Chirurgi in Belgii agminibus citò citiùs famam obtinuit, quæ postmodùm Parisiis Laureâ magistrali donatus in Aula & in urbe adeò fulsit, ut inito adversùs Galliam ab infensis potestatibus triplici fœdere, Regiorum exercituum anno 1673. Consultoris Chirurgi titulo fuerit insignitus, & tanta exindè in hujus officii partibus præ sua in Arte intelligentia apud Lud. Magnum ipsi stetit favor & fides, ut in omnibus deinceps bellicis expeditionibus comitem habere voluerit.

Diri posthinc & periculosi mali pertinaciâ Rex conflictatus, hujus curationi D. Carolo Francisco Felix suo Consil. & Chirurgo Primario Socium, & in operatione perficienda censorem adjunxit; ità ut tanti momenti tractatione feliciter exactâ absque exauseos metu dici possit, virum hunc eximium totius Galliæ de Principis discrimine trepidantis, quem tamquàm Regni-columen, & faustas populorum delicias suspiciebat, pavoribus sedandis non parùm contulisse.

Summo demùm Regii exercitus imperio Delphino filio, & Duci Burgundiæ nepoti à Rege successivè commisso, novorum Achillium salutem, redivivi Chironis curæ credere non dubitavit; cujus fortunam ut beneficii fecerat ampliorem, ità familiam non procul ab interitu ex plebeia nobilem fecit.

Verùm poſtremis vitæ temporibus inſignis Chir. ſuâ in Arte peritiâ, comitate, morum candore, modeſtiâ, ſingulis acceptus, annorum æternorum ſincerâ & jugi ſollicitudine captus, piis operibus, & amplâ præſertim eleemoſinarum erogatione, longioris ævi delictis & ignorantiis reſarciendis incumbens, in acerbo luctu ſterilitatis anni 1709. immani frigoris acerbitate ubique inducto, equorum & rhedæ pretium pauperum levamini impendit; & totâ interim vitæ ratione ad Religionis Chriſtianæ ſtrictiorem normam indefeſſè compoſitâ, proximum tandem ex hac miſeriarum valle exitum, divinæ miſerationis fauſto flamine, præſagire meruit.

Anno etenim 1712. pia verbi divini Præconum animarum zelo flagrantium miſſione, ab Eminentiſſimo Cardinali Pariſienſium Antiſtite, in Eccleſia Parochiali SS. Lupi & Egidii ſuæ manſionis vicinâ, ineunte æſtate indictâ, illorum conciones & preces per dies 15 aſſiduè ſectatus, & ipſâ hujus ſolemnitatis ultimâ die, Divinâ ſuſtentatus Euchariſtiâ, ſerotinis horis frugali, ſolito more, cœnâ refectus, ſubitaneo non autem improviſo ictu percuſſus, Domino placidè indormivit, & magnum ſui ad probos omnes deſiderium reliquit, ætatis 91. 15. Junii prædicti anni 1712. Exuviæ jacent in templo ſancti Salvatoris.

M. Joannes Baptiſta Noury, filius, Pariſinus. Obiit 14. Aug. anni 1712.

M. Natalis LE MAISTRE, Castellodunensis. Obiit 9. Octob. anni 1712.

M. Ludovicus ROBERDEAU, in vico Turoniæ Champigny vulgò dicto natus. D. Gastonis Franciæ filii Aurelian. Ducis, Lud. Justi Regis fratris unici, olim Chir. ordin. modestiâ, comitate, & morum candore conspicuus; licet per plures annos in universæ praxeos Chirurgicæ, ac præsertim in lue venerea contactorum fausta tractatione ingentem Parisiis famam obtinuisset, immeritum attamen Chirurgi titulum se gestare existimavit, nisi in celeberrimum Magistrorum Chirurgorum Parisiensium ordinem foret cooptatus.

Primus itaque è Regiæ familiæ Chirurgis Commensalibus, suam in Regia Chirurgorum Parisiensium Societate, vehementiori precum efflagitatione, impetravit aggregationem; & prima hæc præstantis Chirurgi in Societatem cooptatio, omnibus paulò post ejusdem familiæ Regiæ Chirurgis Commensalibus, Chirurgorum Parisiensium Societati coadunandis occasionem præbuit.

